




...abeis Publ.

Alexander Bodius poeta suavissimus 160[illegible]

Heroum genus, antiquo de stemmate avorum,
Quos tulit heroum Martia terra parens.
Qui dedit heroas divinâ carminis arte,
Gracia queis fœlix, queis cluit et Latium.
Queque pari cultu divas dedit heroinas,
Quas famâ illustres secula cana ferunt.
Ipse animis heros, et dio frontis honore.
Heu nunc extinctum decolor umbra notat.
Quid mirare igitur Bodium hic spectarier inter
Heroas meruit jure tenere locum.


Joannes Jonstonus
Del. poe. Sco. par. 1. p. 698

M. ALEXANDRI BODII EPISTOLÆ HEROIDES, ET HYMNI.

AD IACOBVM SEXTVM REGEM.

Addita est eiusdem

LITERVLARVM PRIMA CVRIA.










ANTVERPIÆ.

M. D. LXXXXII.





AD IACOBVM SEXTVM REGEM.



QVAERENTI mihi, Rex, quo meo merito te non laterem, nihil venit in mentem, quod tibi tanto viro voluptati, mihi tam tenui, ornamẽto viderem fore. Et nisi meũ impetum aleret tua comitas, animi magnitudo, ingenij fama, doctrinæ commendatio, deciderem penitus de ſententia, & ſpe fractâ, animóque remiſſo iacerem. Eripit ergo mihi velut reluctanti tua virtus mei animi mentem, & tenuis ingenij monumentum, fœtum illum quidem exilem, & poëticum, ſed quo melius ingenij ſpecimen dare non potui. Certè à quo tempore pulſâ barbarie redierunt bonæ literæ, ſuoque nitori reſtituta Italia ſerpẽtem inſcitiam cohibuit, exierunt plurimi poëtæ Itali, Hiſpani, Galli, Germani, qui palmam veteri Romæ pœne ambiguam reliquerũt.

Et quemadmodum Germanos Galli, ſic Gallos, Hiſpanóſque Itali hoc in curriculo præiuere. Enituit elego Bembus, oda Flaminius, ſpiritu Dactius, ingenio Baptiſta, ſed vnus ſimul plura Fracaſtorius conſequutus, principis nomen non ambitu, ſed merito obtinuit. Fuit quoque inter nos qui Italos æquâuit, Gallos, Hiſpanóſque (præter Hoſpitalium) præiuit. reliquos taceo: Suſpecta enim pluribus nata ad Danubiũ poëmata, pinguiora illa quidem quàm quæ in hunc ordinem cooptari debeant: cœlo enim muſæ, non ſolo delectantur, niſi in inſulis, quarum fœtus non cæli temperiẽ, ſed ſoli naturam ſequuntur. Scotis idcirco deſinãt obiicere ſeptemtrionem Itali, cum in inſulis nati ſint Dii, Deæque, & à nobis vates Dryadéſque prodierunt. Verumenimuero in tanto poëtarum prouentu, cùm in omni genere nonnulli claruerunt, elegiam qui terſam, tenuem, latinam, concinnam ſæculo daret, fuit nemo. Inuentum certè Secundi, tenue Bembi probari poſſunt, ſed de parte ſoliciti, de toto deſperaſſe videntur. quid enim facerẽt? cum

Romuli nepotes, & Augusti clientes id idem vix potuere. Cultior Propertius, & tutior, concinnior Tibullus; his tenuitatem, & natiuum impetum adiecit Naso priorum primus. Ego vt de me quid hic dicam vetat verecundia, certè certamen cum poëtarum plebe non inii, eóque animo demùm copias eduxi, vt de rei summâ dimicarem. quid perfeci, videant posteri. Præterea Romani ne clientes Octauij hymnum fortè attigerunt, cum Græci suum Orphea, Callimachum, Homerum cantarent; animaduertit id Marullus Bisantinus, & hymnos edidit poëta doctior quàm fœlix. dedit & hymnos Vida Italus, Prudentius, Apollinaris, sed religionis fide occupati, pij Sacerdotes, parum poëtæ. En igitur tibi, Rex, hymnos do, fortè vt veteri Romæ laboranti opem ferat tua Britannia, & do primus, si quid id est, qui cum Græcis manum conferre, & veterem Orphea imitari conatus est. id eò feci vt patriam, & te non imperio modò, sed & virtute patriæ principem è fide mea, è re tenui colerem: corruenti enim Mineruæ

te fulturam edidit tua Britannia, & redeunti ignorantiæ hostem. Oriuntur enim iam tandem viri imprudentes, qui cum veteres Plauti, Pacuuij, & Ennij videri volunt, Mineruæ statuam pænè euertêre. Proinde sapientiores habentur ij, qui suis finibus contenti de linguâ vernaculâ triumpharunt, Ronsardus, Tatius Petrarchus, quod ego certè iamdiu vidi, inque hunc cuneum aciem dirigerem, nisi tu spem omnem gloriæ tua virtute, tuo ingenio præripuisses. Nemo tuorum ante te doctrinæ copiis instructus, Mineruæ oleo vnctus in hoc stadio decurrit, posteri quoque si famam norint, periculum non facient ieiuni. Sed vt ego finem faciam, hanc tenuem picturam, quam Memoriæ ad aram cum tuo titulo appendeo, è veteri tuâ clementiâ respice rogo; me quoque non tibi natum modo, sed spe tuæ gratiæ ab omni peregrino patrocinio semper liberum adspice. Optarem enim (quod forte sperare nequeo) vt qui iure regio, & mea voluntate sum tuus, apud te viuerem, apud te morerer. sunt forte & alij, qui

me licet virtute, & ingenio, fide tamen, & ſtudio non anteirent.

Tibi natus M. Alex. Bodius.

AD IACOBVM SEXTVM REGEM.

Sideris Arctoi nitor aureæ, lumen auorum
Nobile, venturæ posteritatis amor.
Primus in orbe Deus, qui iungis Pallada Marti,
Et facis vt titulis cedat vterque tuis.
Adspice, ni pigeat, teneri pigmenta poëtæ.
Difficilem facili carmine falle diem.
Nec mirere mei si frons macilenta libelli,
Agricolæ tenui debile prodit olus.
At tu si fundum clementi afflaueris aura,
Agricolæ domino nobile surget opus.



MARCI ALEXANDRI BODII EPISTOLAE HEROIDES, ET HYMNI.

Argumentum in primam.

ATALANTA Calydonia virgo & Dianæ comes, cum Achaiæ principes in Ætoliam conueniſſent, vt Meleagro Oenei filio ſuppetias ferrent in apro Calydonio perimendo, cum reliquis interfuit. venationis verò perita iaculo prima feriit aprum, & in virtutis monumentum feræ capite à Meleagro donata eſt; ſed illum a quo tempore virgo vidit, deperiit, ille quoque viciſſim illam; Atalanta tamen impotentior, cùm flammam perferre nequiit, prior rem aperit, & amoris vim hac Epiſtolâ enunciat, inque fatalem torum Meleagrum inuitat.

ATALANTA MELEAGRO.

QVOD tibi promiſſo nobis Atalāta marito
Deductum timido pollice mittit opus,
Clàm lege, nocturno ne te mea Cynthia cornu:
Neu comes iratæ viderit vlla deæ:

Neue Lycaonidi compar ego crimine nymphæ
Interea, telo bellua facta tuo.
Et licèt incumbit tenero pudor igneus ori,
Et cohibet facilem rustica curà manum,
Ast erumpit amor, tu mî quoque parce fatenti.
Destituor sensu, depereoque meo.
Vt picturatæ dubius proreta Liburnæ,
Infima cum summum tingit arena salum,
Humida difficili damnauit lintea vento,
Eque sinu tristes præcipitauit opes:
Pinus & iratæ neglecta relinquitur vndæ:
Seu Castor lentam seu ferat alter opem.
Sic vbi me ratio miseram neglexit, inermis
Deseror, & me quò passio pellit eo.
Attamen oblectat mea me dementia, stultæ
Gratulor, & læsi depudet ingenij.
Seu viscum volucri, trepido seu vincula ceruo
Tendo: seu campo lilia cana lego:
Seu telam dominæ texo: seu licia tauris:
Seu regit immitis spicula lenta manus,
Hæc Pleuroneæ quæ me dedit vltima siluæ
Lux subit. infælix proterit illa dies.
Anne locum memorem? decedant rura Lycæi,
Claraque Mænalio Parrhasis ora iugo:
Et decor Aemonij campi Peneia tempe, &

Lambit Orontææ quod nemus imber aquæ
Eſt locus in terris multá denſus cypariſſo,
Eueni quernas eluit vnda comas.
Eduræ hic coryli,præſtanti corpore myrti
Hirta verecundis arbutus, apta feris.
Hinc prælabenti procumbit pampinus vndæ,
Hinc ſeges, & domino candet ariſta ſuo.
Intus aues querulæ,linx aſpera,torua leæna
Feruet in induuiis,luxuriatque ſuis.
Attamen inprimis veſtræ corruptor auenæ,
Qui tibi nunc decori gramina pauit aper.
Nimirum temtæ triſtis cenſura Dianæ,
Cum coleret reliquos impia turba deos.
Ire negant alij, pugnæque pericula tantæ
Qui non horreret te ſine nullus erat.
At ſimul Oenides cœlato lucidus auro
Prodieras, famæ tactus amore tuæ,
Conueniunt tecum Cures, Aetolus,& Argi,
Et quæcunque acres tela tulere manus.
Et quæ de noſtrâ, ſi qui decor hoc erit, Argo
Venatrix veni,regia virgo fui.
Non vellus Tyrium,putrique edocta veterno
Aurea Mæonio ſtamina nere colo.
Arcus adeſt humero, ſpirant in ſpicula venti,
Diuidit errantes mollior aura comas.

Robore ruricolis, pedibus contendere cauro,
Pectore discussæ traiiciuntur aquæ.
Contulimusq; plagas, distinctaq; retia neruis,
Augetur magico cura ministerio.
Lustrantur sectæ in partes indagine siluæ,
Vis Lacedæmoniûm feruet odora canum.
Inter at Aetolas vt tu caput exeris, vt te
Tum decuit celerem per iuga ferre pedem.
Lucent Mæonio tibi pallia picta metallo,
Tinxit & Assyrio quæ tibi concha cado.
Ensis adest lateri, digitoque reguntur eburneo
Arctant quæ pariles licia lenta canes.
Vir velut Idalio Veneris nitet inclytus arcu,
Dum pulcher prædã & frigora captat Adõ.
Aut nemus Amphrysi dum Cynthius errat, & amni
Incubat, affectæ compediuntur aquæ.
Intereà viridi prorumpit ab ilice, dentes
Concutit, & duro murmure frendet aper.
Irâ commotæ strident in tergore setæ,
Feruet in attritis spuma cruenta genis.
Diffugiunt comites, tantùm Plexippus, & ipsa
Sistimus. Aetoli nil potuere tui.
Te notat armatum sus igneus, inque morãtem
Tendit. at ingenio frangitur ira meo.

Arcus virgineam spirabat ductus ad aurem,
Erumpunt docili spicula lenta manu.
Annuit innocuæ deus ignifer, ilicet armum
Transadigit leni tristis arundo sono.
Subsiliit ferior, rubicundaque defluit vnda
Corpore. tam facili vulnere læta fui.
Territus at nihilum, nec amaro tardior ictu
Frenduit, inque tuas irruit vltor opes.
Excipis impauidus, trunco venabula querno
Nixa, deerrantes sustinuere manus.
Vi ruit, & latam exhaurit sub corde bipēnem.
Sanguinis hirsutos eluit vnda toros.
Sternitur, extremo torpētque natantia somno
Lumina, tu totus laudis amore rubes.
Abscindisque caput. spolio iacet orbus arena
Truncus, & infaustæ pabula præbet aui.
Id videt, & viridi procumbens Delia saxo
Horruit, at bili temperat illa suæ.
Sed Venus annosæ latitans sub tegmine myrti,
Et puer Idæus cum face risit Amor.
Nec semper nostro pugnas violente marito,
Non est qui metuet semper Adonis ait.
In me contuitu sed tu defixus inerti,
Spreuisti Paphiæ mollia verba deæ.
Te tamen obliquo contemta notauit ocello,

Et quamuis nolles, inquit, amator eris.
Sic potiar prædæ spoliis Atalanta perempta,
Decreta absenti gloria prima mihi.
Magnus honor, fateor, sed tu mihi munere tăto
Vt placeas, olli sis comes. ipse veni.
Ipse veni, mea lux, referes meliora, furenti
Eripies, molli quæ pudet ore loqui.

Argumentum in secundam.

DIomedes Ætoliæ rex ad Troiam profectus, post Achillem, & Aiacem Telamonium fortissimus est habitus; singulares illius pugnę aduersus Hectorẽ, & Æneam; capti fatales equi Rhæso cæso, Mars venusque vulnerati; sed hæc indignata Ægialen vxorem tanta libidinum turpitudine accendit, vt eius causâ patriam exosus Diomedes domum reuerti noluit; dumque exul erraret, ad Lyci regnum peruenit, hominis sanguinarij, & qui hospites immolare solebat. Huic filia fuit Callioneira, aliis Calliroe, quæ Diomedem miserata paternis insidiis liberauit, & in lecti partem adsciuit, cui ille hanc gratiam retulit, vt de se optime meritam desereret. Hanc ergo Epistolam ad illum mittit, quâ officia narrat, illiusque perfidiam execratur; ab instituto quoque reuocare nititur, sed frustrâ, quia ille perstitit, & illa laqueo sibi consuluit.

CALLIONEIRA DIOMEDI.

VT malè deperij, si sic quoque prima perîssem,
Improbe, delicto Callioneira tuo,
Crimina dicturæ potuissem credere chartæ
Parcius, & noster pæne lateret amor.
Sed pudor, & pietas, & fidi cura mariti
Tam procul impuro fugit ab ore tuo,
Quam procul â Syrio seiungitur Adria ponto,
Quàm procul â nobis perfidus exul abis.
Nec benè se quisquam pelago, ripæque ruenti
Credidit, æquoreæ mobilis ira deæ.
Nec benè qui cælo patriam mutauit iniquo.
Mobilior vitreâ miles, & exul aqua.
Hei mihi! quid feci? quo me furor egit amantẽ?
Quid mihi? quid generi Callioneira fui?
Scilicet hospitio Diomedem admisimus hostem.
Nota peregrino facta paterna viro.
Nec satis; intacto potui quoque sistere lecto,
Mec modò mî census sed malè cessit honos.
Hei mihi! quid feci? nec erant quoque numina curæ,
Heu! Iuno vitæ nunc inimica meæ.

Quando meis vestræ caruerunt lancibus aræ?
Victima nùm sacro defuit horna tuo?
Sæpe mihi tenues vinxerunt tempora vittæ,
Sæpe mihi læuâ fictilis vrna manu.
Optaui fido demum potuisse marito
Nubere, legitimo viuere posse toro.
At nihil indultum, coràm neglecta pependi
Flebilis, & duræ despicienda deæ.
Et modò quam patriæ petiit pars prima iuuētæ,
Tu qui contemnis miles, & exul abis.
Hæc quoque fortunæ veniunt ludibria, vitam
Qui mihi debebas eripis ipse mihi.
Per tua, Tydide, simul & mea gaudia, mecum
Per tibi quæ primum præbuit herba torum.
Per benè si de te meruì; miserere cadentis:
Hoc nimis infœlix exue mentis onus.
Iam medio tremuit cælo nimbosus Orion,
Et viget in vitreâ vis Aquilonis aquâ.
Nec licet irato praetendere lintea ponto,
Bruma Lycaonio sidere rupit iter.
Finge tamen sinuent celeres tua lintea venti,
Fac leuis in puppim sibilet aura tuam.
Quo miser exibis? tibi quanta pericula menti?
Quas miser in terras miles & exul abis?
Nec licet Aetolum penitus confidere regno,

Nec

Nec venit in mentem terra paterna tuam.
Nec tibi confecto repetentur Pergama bello,
Nulla Mycenæo ſub duce tela feres.
Mene fugis? nec erunt tibi iuncta cubilia tãti?
Quique fluit ſicco ſpiritus ore meo?
Hi quoque qui crebro viciant mea lumina nimbi?
Quæque metum paſſæ diſsiliere comæ?
Quid nunc perficiam? proh! nunc mihi fraude peremptæ
Quæ ſpes? quam repetã ſola relicta domum?
Quod ſi ſanguineo procedam præda parenti,
Tunc ego non Lyco nata, ſed hoſpes ero.
Huic hominum diræ tinguntur cædibus aræ,
Sanguine crudeles mitigat ille deos.
Meque voraturis daret & mea viſcera flãmis,
Inque manum iugulo tingeret ille meo.
At nihil offendi. ne te violaret inermem
Quod vetui, culpæ ſumma peracta meæ.
Nec pudet officij, neque me pietatis ineptæ
Quod piguit, veniens arguet vlla dies.
Sed tibi diſceſſus ſi ſtat ſententia, tecum
Me vehe, ſimque tui pars prior exilij.
Non tibi dedecori fuero, nitet ore iuuenta:
Non oneri, potius fæmina demet onus.

Si pudet officij, formæque pericula tantæ
„ Si metuis, visum pellitur arte malum.
„ Sæpeque suspectæ nulli nocuere ruinæ,
„ Nec graue præuiso verbere vulnus erit.
Mascula perfecto renitebit forma capillo,
Audebo celerem carpere tuta gradum.
Laxaque formosis dementur pallia limbis,
Strictaque quæ velet fœmina vestis erit.
Hanc quoque respicies nitidoque notabis ocello,
Pars erit hæc vultu saepe notata tuo.
Si tibi continget picto contendere curru,
Tunc mihi victuri lora regentur equi;
Si pedes ignoto committes prælia campo,
Casside velato vertice miles ero.
Insidias pecori facies venator adulto,
At tibi quæ tendet retia semper erit.
Hamis cæruleâ ludes piscator in vndâ,
Remige me summæ percutientur aquæ.
Denique funereum descendat in ilia ferrum,
Vnica delesos conteget vrna duos.
Tantum crudeli ne linquar præda parenti,
Tantum tu vitæ parce proterue meæ.
Quid tamen ah! meditor demens? mihi gramina campi
Et prius Ioniæ dinumerentur aquæ,

Quam mihi Tydides errãtem præbeat aurem,
Et quam perfidiæ temperet ille suæ.
Id me vicino quoties stans noctua tigno
Edocuit, fati nuncia penna mei?
Id quoties vetulæ, contemtaque pabula coruo
Quæ dedit infælix edocuere manus?
Hoc vos Iliaco Danai didicistis in aruo,
Edocuit pactam fallere Troia fidem.
Phyllida Demophoon pariter decepit amãtem,
Hospita dum Danao crederet arua viro.
Destituit medio Theseus Minoida ponto,
Crimen Echionij quis putat esse dei?
Est quoque qui Siculâ currit vagus exul in vndâ,
Et multâ æquoreas decipit arte deas.
At te, Tydeide, mollem dum fallis amantem
Perfide, qui vincet crimine nullus erit.
Despicis Aegialem pulchri quod amore Cometæ
Capta, maritalem polluit ante torum.
Tuque mei fidi contemnis fœdera lecti,
Quod vicio vertis, mobilis erro, facis.
Sed qui Threicio Marti pugnauit inultus,
Qui Paphiæ tenerã strinxerat ense manũ,
Cõnubiũque domi qui ferreus odit, & vsque
Currit in ignotâ mobilis exul aquâ.

Ille mihi quid erit? ſed cur ego pluribus? arma
Expedij. grauior comprimit ora dolor.
I modo fluctifero peregrina per æquora vento,
Nos ſequimur læſæ quò vocat ira Deæ.

Argumentum in tertiam.

ILiam, quæ & Rhea, & Siluia dicta, Amylius patruus honoris ſpecie, ſed vt ſpem partus ei adimeret virginem Veſtalem legit: verùm illa cùm aquam è Tiberi ad obeunda ſacra peteret, in ripa fluminis obdormiit, & a Marte compreſſa geminos concepit. Puerperij autem tempore ad Martem epiſtolam ſcripſit, quâ enunciat infortunium, vt ſorori Lupinæ res detecta, vt enati gemelli, vt à patruo morti deſtinata; defoſſa enim ad Tiberim fuit Ilia, proinde Tiberi nupſiſſe fingitur.

SILVIA MARTI.

HANC tibi Threïcio mittit tua Siluia Marti,
Infœlix furto facta puella tuo.
Heu tumet ingrato viciatus pondere venter!
Et rubor à nobis & decor omnis abeſt.
Vbera dimoto turgent lactentia ſucco,
Et lauat incuruos vda papilla ſinus.

Et gradimur lentè, fœtaque retundimur aluo,
Et fastiditus temperat ora cibus.
Dum facit Iliacæ sacrum pars cætera Vestæ,
Ilia composito figitur vna toro:
Vanaque diducto repetit suspiria rictu,
Et trahit ignauum desidiosa diem.
Sæpe sacerdotij comites timuere moranti,
Et traducta leui suspicione fui.
Sæpe Lupina soror reliquis audentior insit,
Et ferit occlusas dura puella fores.
Ilia quid facies? quis te furor vrit inertem
Improba? difficilem, Siluia, pande forem.
Pāde per has lachrymas, Vestæ per iura sacelli,
Vulnera dilectæ detege diua tuæ.
Detege, ne metuas, nec enim mihi numina tanti,
Ni faueam comiti casta Lupina meæ.
Horrida si timidam terrēt te crimina, per me
Tuta subinuiso surripiere metu.
Si nihil admissum, neque te noua crimina tangunt,
Quid prohibet comiti tecta patere tuæ?
Non fas Tyrrhenæ sacrum contemnere Vestæ,
Nec licet æterno semper abesse foco.
Nobile Palladium, veteris præconia Troiæ,

Soláque cultori numina nota ſuo.
Et pius æditu us tecto te ſæpe morantem
Euocat, occluſam Siluia pande forem.
Credidimus comiti tam relligioſa loquenti,
Ingreditur tectum fida Lupina meum.
Oſcula contulimus, crebróque madentia nimbo
Lumina labenti ſurrubuere mihi.
Quid facis? exclamat comes inclyta: pelle timorem
Ilia, mœroris commiſereſce tui.
Annuimus comiti faciles, & murmure tãdem
Enarro furtum debiliore tuum.
Ver erat, & foliis nodoſa virebat arundo,
Et maduit tenui rore reuecta dies.
Egreſſæ templum Tiberinam venimus vndã,
Sacra ſuburbanis eluerentur aquis.
Fictilis è capitis ſummâ vix ponitur vrna,
Reſtituitq́; leues mobilis aura comas.
Ecce pruinoſo nectuntur lumina ſomno,
En ſopor æſtiuum pellit ab ore diem.
Protinus aduertit Deus enſifer, inq́; ſupinam
Irruit, & teneras comprimit ille manus.
Tẽdit & interius, Nymphæq́; cohæret inerti.
Sic abiit pulcher virginitatis honor.
Decepit primum ſopor arduus, inde voluptas

Improba. ſic triplici milite victa fui.
Excitor intereà; dubiæ mihi labile turget
Fœmen, & incedo languidiore gradu.
Et pudibunda femur feriens, proh Iupiter! inquam;
Pol! ſimul arrectæ diriguere comæ.
Proh ſcelus admiſſum! repeto, tum fontibus vrnam
Impleui, culpæ conſcia ſola meæ.
Et moribunda domum redeo, capiẽte miniſtra
Ponitur è ſummâ fictilis vrna comâ.
Inde torum veniens caput inter lintea condo,
Et ferio timidâ viſcera læſa manu.
Sæpe femur ferij moriens, crebroque putaui
Crimen contactu poſſe fugare meo;
Sed mage quo tetigi, grauior ferit ardor inertẽ
Criminis, & iaceo vulnere lapſa meo.
Tunc ſopor euicit luctum, iacuique ſepulta:
Non tamen vt volui tuta ſopore fui.
Adfuit heu! iterum deus enſifer, inq; ſupinam
Irruit, infœlix vtq; peregit opus,
Stirps ait Aeneadûm, pia Siluia, diſce timorem
Pellere. Mauortis ſeminè fœta iaces.
Tempus erit geminum reddent vbi viſcera partum,

Et fies partu, Siluia, diua meo.
Dixit, & ad Venerem rediit, ludoq; peracto
Exiliit. comiti dij meliora tibi.
Sic tumet ingrato viciatus pondere venter,
Affer opem sociæ, fida Lupina, tuæ.
Hæc ego dum memoro, desæuit in ilia partus
Integer, & viuas imprimit ore notas.
Et vigor æthereas paulatim tentat in auras
Masculus, & furti pignora nota tui.
Sic malè disperij, deus ensifer, ira tyranni
Mobilis, & fato sæuiet ille meo;
Meq; voraturis dabit, & tua semina lymphis,
Nec clypeus magnam, nec feret ensis opem.
Hæc ego dum memoro, distenta per ilia partus
Labitur, optatam proh soror affer opem!
Affer opem Lucina Rheæ, diui eia parentis
Semina! mî partu reddita vita meo.
Martia frons, grandes oculi, tectumque capillo
Sinciput, & grandis tibia, lata manus.
Vera dei soboles, gressum prohibete profani,
Nũc mala qui plectet crimina mũdus habet
Proh dolor! hoc gemino remouentur numina partu,
Araque Tyrrhenæ contremit icta deæ.
Crimẽ inest generi, Tiberinæ exponite lymphæ

Pignora, funestas adde Lupina manus.
Nec scelus agnoscat cõtemptor Amulius æqui,
Neue ferus vicio sæuiat ille meo:
Nam tu si deus es, si sint tibi grata parenti
Semina; neglectos nectare pasce tuos.
Plurima non licuit, patrui quia lictor inermẽ
Euocat, & tumidas fata minatur aquas.

Argumentum in quartam.

OEdipodis Antigone filia patri cæco in exilium acto, se viæ ducem præbuit; fratribusque suis, Polynici, & Eteocli mutuâ cæde interemptis, contra Creontis edictum, funebre præstitit officium. proinde cum Argiâ Polynicis coniuge carceri mandata, capitéque damnata est. Illam Hæmon Creontis filius grauiter periit, patrẽque non desiit ab instituto reuocare: quod vbi pernouit Antigone, scriptâ epistolâ iuuenem monet, ne puellam morti damnatam, & Oedipodis genus tanti faciat, vt & eius gratiâ se in periculum ducat, sed cum Argiâ sinat oppetere, per somnum quoque se habere quod illi timeat, nec iniuriâ, cum Hæmon ad Antigones tumulum semet interfecit.

ANTIGONE HÆMONI.

„ *CRimina criminibus reparantur: pabula nimbo:*

Falce tumet vitis: vomere turget humus:
„ Vulnera vulnerib⁹ medicamina. ſolus inerti
Antigonæ duro carcere creſcit amor.
Vincta domi teneor, viciantur compede nerui,
Funerei vultus, puluerulenta coma.
Imbreq́; continuo turgent mihi lumina, tătùm
Libera picturis vna relicta manus.
Hanc quoque torpentem, niſi me mea fallat imago,
Oſtendet morbo multa litura ſuo.
Vt Iouis Hercæi ſua funera tracta ſub aram
Reſpicit arrectis ſæpe iuuenca comis;
Sic ego reſpicio toties odioſa Creonti,
Dum me qui feriet lictor, & enſis erit.
Quilibet at veniat, poteris modo charior ipſa
Tu procul à pœnis Hæmon abeſſe meis.
Hæmonis Antigone, crudo damnata parenti,
Non moriens aliâ voce Creonta voco;
Quàm caueat properum ne te mea funera tangant,
Ne pereas dominæ victus amore tuæ.
O puer Aonij generis fiducia, Thebæ
Gloria, venturæ poſteritatis honor,
Cuius maturæ decedunt candida formæ
Lilia; qui ſuperas nobilitate deos;

Vlla mouent si te vinctæ suspiria nymphæ,
Si tibi sub memori pectore cura mei,
Pone modum metui, temerè pugnare parenti
Desine, indicio sæuiat ille suo.
Scilicet vt fluuiis grauius comburit abestus,
Vt focus exiguâ plenius ardet aquâ;
Sic prece, sic pretio violentius ira Tyranni
Candet. erit fletu sæuior ille tuo.
Et subit, & timeo, ne te grauiora petentem
Occupet, immiti dum timet imperio.
Nec mihi suspicio leuior, tua terret inermem,
Occurritque ægra læuior vmbra mihi.
At satis Aonio maduerunt sanguine campi,
Et nimis aduersos gens habet ista deos.
Heu domus Oedipodis! fundataque mœnia Cadmo;
Ah nimium nobis perniciosa domus!
O vtinam tunc cùm Tyrio procinctus amictu,
Attigit Aoniam mobilis exul humum,
Mœnia Sidonio cùm designauit aratro;
Et tu Cadmæis regia, dixit, eris;
Obuia ferali iacuisset pabula coruo:
Siue Lycaonio præda cruenta lupo.
Aut tunc cùm reliqui comites cecidere, perisset.
» *Sed vincunt soli qui valuere dolo.*

At nos quid duro ciues certemus Olympo?
Qui prius offendit conditor vrbis erat.
Cadmus Agenorides ſuperos cõtemſit, & iram
Quam meruit pœnâ pertulit ille ſuâ.
Nec ſemel exilio patriam mutauit acerbo,
Et iacet Illyriâ mortuus exul humo.
Hunc genus Antiopes, ſoboles dilecta tonanti,
Expulit, & cœptam perficit ante domum:
Longa rei ſeries. ſuccedit Laius, iniquo
Nubit, & incauto credula mater auo.
Atque nouo læſi repetuntur crimine diui,
Temptaq; fatidici carmina dura dei.
Naſcitur, & ramo ſuſpectus pendet ab alto
Oedipus, & fati neſcius ipſe ſui.
Hinc genitorq; illinc genitus, concurrit vterq;
Impius. at nati ſternitur enſe pater.
Sphinx cadit, & certo voluuntur ſidera cœlo,
Sanctaq; materni vincula rupta tori.
Heu domus infœlix, & lamentabilis! atque
Iam nimiùm crebro crimine nota tuo.
Naſcimur intereà, neque nos meliora videbãt
Sidera, ſed motu deteriora ſuo.
Exul abit Polynix, regni tenet alter habenas,
Et noua neglectâ fœdera rupta fide.
Tydeus, & ſoceri repetuntur, miles Adraſti.

Candet in Oebalia ciuica flamma domo.
Principium pugnæ par, heu! miserabile fratrũ
Edidit. hic ferro fortior, ille dolo.
Par fuit impietas, sæua par exitus iræ,
Et cadit alternâ victor vterque manu.
Quid tamen? an patrio iuuenes priuare sepulchro,
Membraque supremo fas prohibere rogo?
Tabida vicinis damnare cadauera coruis,
Regia venturo credere membra lupo.
Nec satis, alternâ nostros cecidisse bipenni,
Atque pari læsos cæde piasse deos.
Scilicet Antigone misero persona theatro
Vltima defuerat, sed quia poscit erit.
Sit comes Ismene, claro prius apta marito,
Nunc iacet in viduo frigida nympha toro.
Sit comes Argiæ summo quia tradidit igni
Mecum defleti membra cruenta viri.
O soror Argolicum decus, o Argia tonanti
Et soli summo nubere digna deo;
Cum bibit Oceanum, rutilo cum Phœbus Eoo
Surgit, & admissis altior ardet equis.
Non te permenso quicquam perspexit Olympo
Nobilius. sociam da pia nympha manum.
In nos inculti desæuiat ira tyranni,

Et madeat tepido ſanguine ſcena meo.
Id genus Oedipodis, ſcelus id genitoris adempti
Expetit, at ſociam da, pia nympha, manum.
Tu tamen immitem, mea lux, heu! parce parentem
Flectere, ne damno ſæuiat ira tuo.
Nam mea turbatam laniant inſomnia mētem,
Et mihi quod nolles, Theſſala narrat anus.
Seu pariunt celeres nocturna ſilentia ſomnos:
Seu condit lumen cura diurna meum.
Hæc tua confecto ſub pectore currit imago,
Flebilis, & tepido ſanguine tincta tuo.
Et mihi viſa fuit querulo ſpirare labello.
Heu lædent ipſos impia verba deos!
Hæmonis Antigone diro damnata parenti,
Et tibi mens ſine me, cādida nympha, mori
Non, furis incaſſum; tibi nam tuus Hæmon eunti
Fit comes. Elyſia valle beatus erit.
Pone modū flammæ, mea lux, da pauca petēti;
Scilicet haud duplici funere poſſe mori.

In quintam Argumentum.

PTolomæum cum Demetrius nauali prælio ad Cyprum ſuperaſſet, victorique ceſſiſſent om-

nia, tum & Attica Lamia, psaltria celebris, quæstuque corporis & forma nobilis; hanc & vehementer Demetrius & constanter periit, vt ne vetulam desiit amare; sed cum libido grauior regis esset,& in dies ad nouas nuptias transiret,tandemque Deidamiam Pyrrhi sororem duceret, Lamia quasi se temptam suspicata, regem mirâ pertentat arte, sui amoris docet impotentiam, veteres sic repetit vt nouos accendat. oculum Veneris supercilio Iunonis, concubinam nuptâ nihil leuius. At hæc epistola tota est Veneris, cuperetque poëta ne Lamiæ personæ τὸ πρέπον sibi casto sit ἄπρεπον.

LAMIA DEMETRIO.

VEr redit,& Libyci patuerũt cornua tauri,
Et Zephyrus tristẽ flamine verrit humum;
Protinus humenti redeunt sua gramina cãpo,
Luxuriatque nouis arbor, vt antè, comis.
Pendet odoratis iterùm frons cana ligustris,
Et matutinæ surrubuere rosæ.
At simul occidui respirant frigora Cauri,
Et tegit humentes cana pruina domos.
Marcent Aemonio canentia lilia campo,
Et sola in siluis garrula mœret auis.
Sola pruinoso pendent vaccinia trunco,

At cadit in viduam vile papauer humum.
Sic ego Demetri, regum pulcherrime mi, mi,
Exorior vultu deficioque tuo.
Frons tua temperiem referet mihi candida vernam,
At tua si cedent lumina, bruma venit.
Mortales alij venerantur sidera, Phœbi
Fulgur, & argentum, candida Luna, tuum,
Amphitryoniadis torrentia tela, nepotem
Atlantis, lucri sit licet ille deus.
Mî pro sideribus fuerint tua lumina tantum,
Demetri, Diuus nam meus esse potes.
Quando ego te colui tantũ, neque nota fuissem
Ductori Danaum Lamia bella tibi.
Libera cirratos quatiebam fronte capillos,
Et sedi læto tuta supercilio.
Clara perurentem vibrabãt lumina flammam
Eque meis oculis cum face luxit Amor.
Lesbia Threiciis socio dum carmina neruis,
Et motum niueo pollice spirat ebur.
Mene verecundo feriisti punctus ocello?
Inque laboranti pectore flamma fuit.
Nunc oculi: nunc frons, & eburnea pila papillæ,
Imaque sunt vultu crura notata tuo.

Erubui fateor, minuitque modestia formam,
Nec potuit tacto pectine lingua loqui.
Ducebant aliæ choreas, mihi dicis eunti,
Anne potes mecum, Lamia, ferre pedem?
Ferre pedem potui, simul impulsare frequenti
Pollice Threiciæ fila coacta lyræ.
Respondêre lyræ modulamina dulcia, cantus
Inque modum celeres disposuere pedes.
Te periere alij, Danaum pulcherrime, tu me.
Victor eras reliquis, sed mihi victus eras.
Excipiunt epulæ choreas, prodire timenti
Dixisti tacitè, Lamia bella, veni.
Obsequimur timidæ, suspectaq; pocula Bacchi,
Non penitus vanum mî peperere metum.
Pocula selecti generosâ fronte puelli
Præbuerant, læto sanguine feruet opus.
Incaluêre animi, veterique madentia Baccho
Pectora legitimum deposuere metum.
Dum coëunt calices, tremulo dum lingua susurro
Sibilat, & motu liberiore fluit:
Intrat Acidaliæ puer igneus, inque morantes
Torsit inhumanâ spicula lenta manu.
Protinus eiicitur pudor aureus, omnis honesti
Cultus, & in timido pectore regnat amor.

Humida collisis libantur basia linguis.
Ipsa lacertorum vimine colla tepent.
Immoritur gremio domini, tactuque puella
Turget, & in tepido perfurit aura sinu.
Oris inhumentes exhaurit spiritus auras
Aridus, & motu basia sicca suo.
Hæc faciunt reliqui, sed tu lasciuior omni
Passere Lamiolæ totus in ore tuæ es.
Constringunt hederæ vt faciles ramenta corymbi
Ilicis, & salicem tortilis vuâ suam.
Sic mea nexilibus cinxisti colla lacertis,
Affigisq; nouis basia mille modis.
Deposui frontem fateor, tactuque frequenti
Accendit veneris mota medulla facem.
Erubuit vultus serior, motantur ocelli
Crebrius, & motu torqueor acta meo.
Nequior aduertis, mea lux, repetisq; furenti
Basiolo, & dominâ tendis ad ima manu.
Labimur immemores vitæ, tenuique susurro
Diximus, immites, improbe, tolle manus.
Plurima prætereo, ne deliciosa loquentem
Arguerint penè languidiore Sophi.
Hæc quoque commemini, Danaum decor inclyte, ne tu

Possis delicias dedidicisse meas.
Te tamen oblectat nimiùm noua fœmina, myrtus
Putida, Cecropij vincula connubij.
Et temulenta mouent Iunonis fœdera, fratri
Vilior, & summo sit licet illa deo.
Nec natiua Venus, dominæ, neque colla catenis
Libera, sollicitâ te domuere manu:
Alitis Idalij neque tela mouentia flammam,
Sed tua cum tædis imperiosa Venus.
Quid facis ô Diuûm decor inclyte? pulchrior omni
Sidere, qui Getico promptior ense deo.
Dum te dira mouent funalia, vota parentum
Improba, dum nuptæ rustica cura tuæ,



Dumque ruis præceps in retia, perdis amantem
Lamiolam. lento conteris ossa rogo
Lamiolæ Veneris curæ, puerique tepentis
Flammululæ; tepidā tolle proterue facem.
Tolle facem vrentem, puer improbe, deme puellæ:
Vel libertati me citò redde meæ.
Lamia sola toro iacet ignea, lentus amator
Friget, & est tepido Lamia sola toro.
Ah qui connubio primùm coniunxit amantes!

Et vetuit Paphiæ libera facta ſequi.
Pendeat in mediis, ſitiēs vti Tantalus, vndis,
Dira nec oblatus temperet ora cibus.
Efferor incaſſum. miſeræ ſuccurre petenti
Diue: vel hoc ſummâ contege pectus humo.

In Sextam Argumentum.

EVrydice poſtquam Ariſtæum fugit, & colubri morſu adiit inferos, abſentis Orphei deſiderio tangitur. monet ergo hac epiſtolâ, veterum meminerit amorum, & citharæ vim experiatur illam, qua non coniugem modò, ſed & feras, ſaxa, & ſiluas poterat mouere; poſſe contingere inferorũ vt principes non minùs tanto ſpiritu, quàm ſuperi moueantur, reſtituantque contubernium, quod libido ſoluit Ariſtæi.

EVRYDICE ORPHEO.

IMperiuratâ carmen tibi mittit ab vndâ
Eurydice, caſto fœmina cæſa viro:
Non mihi quod poſsis morienti occurrere, tanti
Non teſtudineæ fila canora lyræ.
Sed me nec lethi latices, nec numen Auerni
Pernôris cultu ſurripuiſſe tuo.
Eumenidum ſiluæ, fœdique ſilentia regni,

Et Chaos, & pigræ quæ memorantur aquæ,
Non mihi, dij testes, pariunt obliuia vestri.
Vnius Eurydice fœmina semper eo.
Seu liquor Eridani, tenuique madentia nimbo
Arbuta, quæ purum temperat Elysium.
Seu Iouis occurrit nati sitientis imago:
Seu redit à nigrâ portitor vdus aquâ.
Forma tua Eurydicæ per inania semper eunti
Fit comes. hæc tristi notior vmbra mihi.
Et subit illa dies quæ me tibi prima canenti
Prodidit, infœlix & premit illa dies.
Collis erat, memini, collemque per ilicis vmbras
Ambiit inductâ purior Hebrus aquâ.
Cespite tu viridi, diffusa sed vndique lauri,
Et myrti vrentem diminuere diem.
Pectus ebur, stellæque nitent tibi lumina, nēpe
Vt ferit Ionias Castor, & alter aquas.
Et retro pexi refluunt in terga capilli.
Suauè verecundæ surrubuere genæ:
Pictáque Mæonio vestis tibi fluxerat auro,
Ornauit vestem plurima concha tuam,
Plurima munditiēs, impexa papauera, calthæ
Virgula, purpureis lilia picta rosis.
Qualiter intonsi graditur sub fronte Lycæi
Cynthius. impexas diuidit aura comas:

Aut puer Iliaco quem sustulit alifer aruo
Iupiter: aut Venerē cùm puer ambit Adon.
Sed simul impuleras, digitóque coacta frequēti
Spirant Phœbææ stridula fila lyræ:
Læta repercussæ feriunt mea pectora fibræ,
Nec licuit celeres continuisse pedes.
Ipsæ Threiciæ desertâ cæspite siluæ
Ilicet excussis intremuere comis.
Huc nemus Heliadum, pomoque onerata rubenti
Arbutus, Ioniæ debita pinus aquæ.
Fraxinus Herculeum decus, & deuota tonanti
Esculus, Idaliæ myrtus amica deæ.
Amnicolæ salices, curuataq́; glandibus ilex,
Et platanus folio deliciosa suo.
Fluminei coryli, vincenti præmia palmæ,
Tonsa prius pecori parua myrica meo.
Nec genus arboreum, nec saxa silentia tantum
Mouit Apollineæ ductilis aura lyræ.
Sed simul, vt memini, sonitu permota frequenti
Limpida diductis subsilit vnda vadis,
Vernaque commoto tremuerunt gramina cāpo,
Et Flora, & superis non odiosa Ceres.
Vidisses motum trepidantis in æthere nimbi,

Et simul alifera consiliere fera.
Cornipedes aquila, caudâ candente pyrargi,
Accipiter, vultur, noctua, miluus, olor.
Nec modo penniferum genus, exiliere cauernis
Quadrupedes, tanti roboris aura fuit.
Mole labans elephas, violento pectore tauri,
Ipsaque demissis torua leæna toris.
Capreola, catuli, ramoso vertice cerui,
Inque modum magni membra feruntur equi.
Pan pater Arcadiæ calamũ tunc temsit inertẽ,
Et luctum cantu leniit ille tuo.
Exiliunt niueæ liquido de flumine nymphæ,
Et duxit faciles ipsa Diana choros.
Conueniunt Dryades, genitórque præiuit Apollo,
Claraquê natali Calliopæa tuo.
Tunc ego te quoties obliquo lumine fixi,
Eque meis oculis nuncius ibat amor.
Sæpe mihi læsæ nocuerunt murmure nerui,
Sæpe mihi timidæ mens fuit ista loqui.
O puer Idalio quem nec deus igneus arcu,
Nec superat formâ mater Acidalia,
Cui non dum teneri flauent lanugine vultus;
Dum pellis curuæ stridula fila lyræ.

Respice quæ celeres torrent mea pectora flãmæ,
Nec leuis in vultu sit medicina tuo.
Vt rubor, & facies teneram designat amantẽ,
Vt patet obtuitu prima fauilla meo.
Nec leue supplicium, nec inani carpimur igni.
Heu patitur duros spiritus iste deos!
Fœlix Chaoniæ viuunt in amore columbæ,
Si ferit hic subito vulnera curat amor.
At pudor humani producit semina morbi,
Et timor, & charæ cura pudicitiæ.
Cura premit teneras, sed quæ sua vulnera tã-
Pallida detexit sola puella sapit. (tum
Hæc ego dum meditor citharam tuus ardor eburnam
Pellere, sed citharâ tentior ipse tuâ.
At malè dispereat qui nos secreuit amantes,
Tentauitq; tuas durus adulter opes.
Sed tibi si veteris superant accendia flammæ,
Si tibi sub memori pectore cura mei.
Qui citharâ syluas, qui saxa silentia flectis,
I, Phlegethontæas fortè mouebis aquas.
Intereà lentâ lethi nos spargimur vndâ,
Sed placet hoc tenui carmine nota mori.
Chara pudicitiæ coluber me iura tuentem
Sustulit. vltores hortor adesse deos.

Argumentum in ſeptimam.

OCeani Clytie Nympha fuit vehementer ab Apolline adamata, ſed tum demum Dei amorem vertit in odium, cum Leucothoes cum Phœbo concubitus Orchamo patri indicauit, effecítque vt viua defoderetur pellex, ſed cum Phœbi perferre nequiit odium, amoris impatiens cibo potuque abſtinuit, & orientem manè, veſperi cadentem ſpectabat Apollinem, quo tempore epiſtolam hanc contexuit, qua ſe purgare, Deumque ſibi conciliare nititur, Amoris docet impotentiã, veteremque repetit fidem, veniȩ tamen cum ſpem nullam videt, in quo cœpit amore, cadit. hoc fortè ſcripto Phœbum permouit, ſed cum nymphæ morbum curare non potuit; in florem ſui nominis ἡλιοτρόπιον mutauit.

CLYTIA PHOEBO.

VT nitor incocti flammâ denaſcitur auri,
Vt leuis hyberno flauet arundo die.
Sic in cæruleis Clytie tua nobilis vndis
Improbe Latoni, pallet amore tui.
Reſpice ſubducto torpentia lumina ſomno,
Vt premit impexas vilior herba comas.
Concaua pallentem referunt vt tempora buxũ,

Concolor Idæo lurida bucca rubo.
Vbera detonſi ſquallent vt tubera ligni,
Vt docet arentem liuida vena manum.
Phœbe per has lachrymas,per ſi tibi gratior an-
Phœbe fui, nymphæ commiſereſce tuæ. (te
Parce tuæ Clytiæ, fletu miſerere peremptæ.
Sit ſatis admiſſo me doluiſſe meo.
Sic leuis Aethiopũ rapias Pyroenta ſub vndã;
Sic tuus Aſſyrias tingat Eous aquas.
Sic iter immenſi facias per cornua tauri;
Sic tibi cum ſpaciis menſis & annus eat,
Vt Clytiæ parcis, deus improbe, parcis amanti
Vt Clytiæ poſito dure ſupercilio.
Non venit in mentem duro, non illa recurſat
Quæ me crudeli credidit hora tibi.
Cum nimis infido te me tetigiſſe lacerto
Fleuimus, impuram ſuppoſuiſſe manum.
Credideram memini fugiens mea pectora lym-
Et leuis amplexu ſeparor amne tuo. (phæ,
Nec tibi de Clytiâ præter data baſia, factæ
Inſidiæ labiis. cætera caſta mihi.
Sæpe pruinoſam coràm dimouimus vndam
Pectore. tuta ſalus, ſed malè tuta quies.
Brachia ſæpe tibi ludens ſinuoſa tetendi,
Sæpe mihi fictum teſtor adeſſe deum.

Tu tamen adiungis doctæ suspiria linguæ,
Et quæ nunc temnis munera, Phœbe, petis.
Per caput hoc Clytie, perque hæc tua pectora dixti,
Et per virgineas, quas lauat vnda comas.
Pinguia per gelidam suras quæ interluit vndã,
Ad ripam refugas dirige, nympha, manus.
Risimus ah memini, tamen hic Cytherea furẽti
Adfuit. ô teneris insidiosa Venus.
Et tua me facies, doctæ periuria linguæ,
Et tua cæsaries, & tuus arsit honos.
Fluxerunt faciles circum tua tempora lauri:
Sustinuit passas labilis aura comas.
Arcus adest humero, spirant in spicula venti,
Et me de fluuiis euocat alba manus.
Lucus erat memini, puræ conterminus vndæ,
Texit inerrantes plurima laurus aquas.
Fons quoque non procul hinc, vallo præcinctus acerno,
Araque perpetuo relligiosa foco.
Adnaui facilis, findunt vada cærula palmæ,
Asperior nudos atterit herba pedes.
Ilicet in superos fallacia lumina torques,
Lumina lætitiæ nuncia, nequitiæ.
Perque tuos currus, & per tua sidera dixti,

Vincis Hyperboream, cādida nympha, niuē.
Vincis Agenoream, nec inani pectore tauri,
Te visâ latâ Iupiter isset aquâ.
Nec Thetis immensâ toties prodiret ab vndâ,
Ad Ledam noster rarius iret olor.
Mitis Acidaliæ quondam mihi notuit vmbra
Nuda, nec indicio vilior illa meo:
Et me non latuit castæ frons ipsa Mineruæ,
Sed cedat Clytiæ numen vtrunque meæ.
Hæc mihi dicebas prius, improbe, nympha manerem
Dum pia, dumque doli non patuere tui:
Sed simul incalui simul ac tibi fido, proterue,
Vota mihi toties fugit ab ore fides.
Notaque multiplici tua sunt periuria nymphæ,
Et plusquam volui pellice læsa fui.
O decus Assyriæ Babylon, fœcunda puellis,
O Clytiæ luxu perniciosa tuo.
Vt te qui primùm curuo præcinxit aratro,
Qui iunxit primâ turpia tigna manu,
Obuius annoso iacuisset pabula coruo,
Interlabenti naufragus isset aquâ.
Nō tua Leucothoe Clytiam turbasset amātem,
Non foret Assyrio lentior ille toro.
Non pater, Eurynome genitrix, nō vlla fuisset

Gentis Achæmeniæ filia nota mihi.
O vtinam! Syriæ subij cum tecta tyranni,
Cum leuior monito credidit ille meo.
Aequora ieiunis secuissem frigida palmis,
Vixissem canas, vt prius, inter aquas:
Aut salici torto canæ suspensa capillo
Hæsissem, primæ diripienda feræ.
Non ita subducto quererer deserta marito,
Non aleret luctum thurea virga tuum.
Quid tamen incassum lachrymis mea viscera rumpo?
Quid te tàm vanâ rélligione voco?
Frigidus ah! nouies alibi tua sidera vesper
Transtulit, & nouies æquore nata dies;
Qua viridi sedeo Cereri, neque nota nec vndæ
Cespite, demissas puluerulenta comas.
Et quoquò vertis tua lumina, vertimus isthæc
Tecum. protrito pallidiora luto.
At modò deficiunt, pereũt quoque cætera, tãtùm
Hoc pergo tristi carmine nota mori.
Clara iacet Clytie, durus quam temsit amãtem
Phœbus. Achæmeniâ pellice læsa iacet.
At vos ô reliquæ colitis quæ Nerea nymphæ,
Diuis exemplo credite pauca meo.

Argumentum in octauam.

LAuinia Latini regis filia, & Amatæ, primùm fuit Turno desponsata. Verum pater Fauni permotus oraculo eam denuò Aeneæ promittit. Quare bello graui inter riuales orto, post strages plurimas decreuit Turnus singulari cum Ænea certamine coniugem vindicare, cuius decreti certior facta Lauinia quæ Turnum animo Phrygio prætulit, monet virum ne cum profugo, Veneríſque nato manum conferat, neque se perditum eat, istud fatum, sortéſque prohibere, quod si nihil leuius, in exilium prius abeat, Lauiniam in discriminis partem venturam.

LAVINIA TVRNO.

QVæ tibi Laurenti tua dat Lauinia Turno,
Clam lege. si per te mî licet esse tua.
Arma moues igitur, populóque tuente Latino
Vnus qui repetet prælia Turnus erit.
Nec mea te genitrix, crebroque madẽtia nimbo hæc
Lumina, nec noster te cohibebit amor:
Nec pulsi Rutuli clarâ moriente Camillâ, &
Non procul à turpi deditione tui.

Tyrrhenusq́; pater, feretroq́; eductus acerno
Lausus, & euersæ quæ potuere manus.
Nec genus Italiæ, neque te tua Daunia, quæque
Pendet ab auspicio terra Latina tuo.
Adde quid eueniat si triste, miserrima dicar
Causa subinuisi funeris esse tui.
Optarem Tyriâ cum perfida soluit ab vrbe,
Legit & Hesperias Troïa puppis aquas,
Aeta peregrinum feriisset turbine saxum,
Ipse foret nostris erro sepultus aquis.
Tros Anchisiade quàm tu mihi durus, & ipsa
Hæc tua cum tædis imperiosa Venus.
Turne per has lachrymas, per & hoc misera-
bile Turne
Pectus, & inuisæ virginitatis onus.
Parce tibi, mî parce tuæ, miserere tuorum.
Impia de cerebro prælia pelle tuo.
Desine Dardanio contendere rector Olympi:
Id vetat, & capiti sors inimica tuo.
Quē fortuna colit, mea lux, procul ille periclo
Militat, & dextro numine tela capit.
Quem fortuna fugit, sub prælia terror eunti
Huic comes, ac animo frangitur ipse suo.
Non incauta loquor, pugnæque pericula tanta
Qui non prætimeat, tu nisi, nullus adest.

Non incauta loquor, ſuprema peregimus, atque
Cuncta mihi magico nota miniſterio.
Fana patris Fauni ſtabulis obtecta ferarum
Noſtin, & ex facie ſaxa verenda ſua?
Itur ad hæc, comites ſequimur, præceſſit Amata
Mater, & elumbis quæ ſacra curat anus.
Contulimuſq́; marẽ catulum, nigrãq́; bidentẽ,
Quam nouies viuâ proluit amnis aquâ.
Verbenæq́; comas, & Marmaritida, quæque
Surgit in immotâ virga biennis aquâ.
Contulimuſq́; ſalem, baccamq́; triennis oliuæ.
Viſcum, farra, merum, thurea dona, focũ.
Vix incœpit anus, vix prima piacula tentat,
Horrida de medio cùm ſalit vmbra rogo.
Vt procul auditur ſpirantis in æthere venti
Stridor, & accretæ mobile murmur aquæ.
Subſilij fateor, pauidâq́; in fronte capilli,
Vt nemorum motæ contremuere comæ.
Percũctatur anus, quæ Turni fata? quis error?
Anne peregrino debita virgo toro?
Enthea vox ſequitur, mediis vt vallibus Echo
Verba refert primo debiliora ſono.
Pergite, relliquias bibulâ torrete fauillâ,
Oſſa viri Latio tollite lecta cado;
Faunus ait, poſitum ſimul atrâ cæde metallum
Inficit,

Inficit, & vatis labitur ante pedes.
Dira rei facies, profugo concurrere Teucro
Desine, fatales Phryx habet ille manus.
Adde quòd hunc peperit Phrygij Simoëntis ad vndam
Dardanio Anchisæ mitis Acidalia.
Et superũ genus est, liquidoq́; reducet Olympo,
Si metuet plures in sua vota deos.
Siq́; mori potuit, Danao cùm Pergamus igni
Cessit, ab excidio cur procul ille fuit?
Cur Diomedeæ superest inglorius hastæ?
Vitrea cur facilem præbuit vnda viam?
Siq́; mori potuit, miseræ post funus Elisæ
Vt fugit Tyrias miles, & erro manus?
Fata, diiq́; fauent. in prælia mater eunti
Fit comes. aduersus dirigis arma deos.
Illo quæratur, dicis, Lauinia campo.
Ast hic qui demet te mihi campus erit.
Turne per has lachrymas, misero ne funere di-
Præda peregrini militis esse tuo. (car
Ille quidem ferus est, nec auarâ mitior vndâ
Mobile per tristes qui mare quærit opes.
Vlla fides olli Danais qui prodidit auro
Pergamon, & patrios vendidit ære deos?
Vlla fides olli viduæ post funus Elisæ,

Pars alius pacti qui cupit esse tori?
Hospitij lectiq; fidem qui prodidit erro
Perfidus; immiti quid foret ille mihi?
Cui periere duæ, fuerim Lauinia coniunx
Tertia? num generi mitior ille meo?
Vt benè conueniunt veteris Lauinia, fœlix
Saturni soboles, & Iouis ille nepos?
Si tibi sum tanti, propero si forsitan igni
Sic furis, vt sine me sit tibi vile mori;
Viue mihi potius, superis cedamus, & arua
Trôs tua possideat, qui prius exul erat.
Vxòr ero, mea lux, pacis tibi iura colenti,
Marte laboranti miles, & vxor ero.
Fida comes tecum gradiar per saxa, per vndas
Hærebo lateri læta puella tuo.
Si nihil hæc moueāt, damnataq; corripis arma,
Experiar parili si licet ense mori.

Argumentum in nonam.

PHilomelæ Pandionis filiæ Tereus vim intulit, cùm eam ad sororem Prognem deduceret, & ne flagitium pateret linguam violatæ præscidit; Illa tamen lanificij perita rem omnem telę intexuit, & ad Prognem deferri curauit. Soror re cognitâ in orgiis Itym filium iugulat, patrique epulū ap-

ponit, & sub finem cœnæ pueri caput profert, quo agnito Tereus impetum in Prognem facit, sed in vpupam commutatur: Progne in hirundinem: Itys in phasianum, Philomela in lusciniā. Verùm non modo telæ mentem intexuit, sed & tabulis, quæ cum ad Tereum deferrentur, à Progne interceptas credimus.

PHILOMELA TEREO.

Attica Threicio, catulo pia nympha furēti,
Pauca Lycaonio læsa puella lupo.
Perlege, quid dubitas? exsecta ferißime Tereu
Non vetat integram scribere lingua manū.
Sed mihi quid tenui prodest insurgere vento?
Quid facit ad crimen pagina picta meum?
O Tereu, Tereu, Rhodopeiæ fœtida terræ
Eluuies, catulæ fœtus Hyperboreæ.
Nunc vbi pollicitum, iurataq́ verba parenti?
Nunc vbi regalis quæ fuit ore fides?
Nunc vbi blanditiæ? fictæ facundia linguæ?
Verbaq́ concentu deliciosa tuo?
Non licet iratæ pares Philomela sorori,
Quàm desiderij tunditur igne tui
Perfida barbaries, ficta sic fraude carentem
Ludis, & Ionios temnis inulta Deos.

Dij tibi pro merito. quid enim? nonne aureus
Hærebat lateri, bellua fœda tuo. (ensis
Tu parcis vitæ, niueo non parcis honori
Perfide. ſed propior lux tibi, fama mihi.
Sic tibi peltiferi, Tereu, temnuntur Achiui?
Attica Threicio ſordet alumna toro?
Quid furis? ah demens! non ſic moriemur inultæ,
Non ſoror hoc crimen temnet amica tuum.
O ſoror ignoto nimium coniuncta marito,
Si datur hæc facili litera picta tibi:
Reiice, ne vacuã turbent noua crimina mẽtem.
Scripta fuit dirâ pellicis illa manu.
Vt tamen admiſſum facinus ſi quæris, amaræ
Teſtis erit culpæ ſtridula lingua meæ.
Iupiter! vt perij? neque vitæ veſcimur aurâ,
Quòd placeat miſeræ languida vita mihi.
Sed prius optaui notus tibi funeris autor
Vt fieret, læſæ tunc mihi dulce mori.
Cõcaua ſubducto ſqualent quoq; lumina ſomno,
Vbera puluereâ ſemiteguntur humo.
Pallor habet vultum, decedit pectore candor,
Et ſuperos animo deteriore voco.
Plãta famem pellit, fauces mihi proluit vnda,
Quæ dabit & tumulũ, nõ negat herba torũ.

Capripedes Satyri risu nituntur acuto
Ludere, sed Progne Dij meliora meæ.
Iam venit in mentem quando descẽdit ab alto
Barbarus, & nobis nota carina fuit.
Pandion veteris siluæ proiectus in vmbrâ,
Dictabat miseris Attica iura reis.
Turbaq; nobilium, pueri, teneræq; puellæ
In viridi passâ consiliere comâ.
Appulit Odrysius, soceri data copia, dextra
Iungitur. at lento quàm tamen ille gradu.
Rex socer, aiebat, primùm tua filia Progne
Et valet, & vitæ commemor illa tuæ.
Huic Itys incolumis; tamẽ hoc cõturbat amicã,
Sola manet semper quòd Philomela domi.
Hanc cupit, hanc solàm secum meditatur, & ardet.
At veniat facili mox reditura tibi.
Intereà fuluo successi nobilis auro,
Et mihi si de me fas foret vlla loqui.
Vt Venus Idaliâ quoties discedit ab vlmo,
Fluctuat in scapulos, vt maris vnda, coma:
Aut Thetis æquoreâ cum pectora tollit in algâ:
Vbera cæruleis penè teguntur aquis.
Arsit amor Terei, fraudemq; fefellit imago.
Nunc abiit candor, nunc abit ore rubor.

Attamen aggreditur, mentitaq́; verba parenti
Quæ dedit, incautæ reddidit ille mihi.
Addidit & lacrymas, sed & has, ait, optima Progne
Mittit, & immemoris sic memor illa tui.
Soluimus intereà, Piræaque littora venti
Eripiunt, glaucæ puppe secantur aquæ.
Ilicet, exiliit Tereus, & Iupiter inquit
Vicimus, & reduci sunt mea vota mihi.
Miror, & infixo percurrì lumine frontem,
Nec satis à dirâ suspicione vaco.
Quid moror? à pelago fessi descendimus, atque
Grata laboranti fertilis herba mihi.
Ille scelus coràm mediâ detexit arenâ.
Dirigui, niueæ subrubuère genæ.
Quid facis? exclamo. tenues tremuère capilli
Vertice. mî venæ subsiliere meæ.
Vt leuis Arcadio procul horruit hinnulus aruo,
Pascua cùm cani præteriere lupi.
Ille nihil contrà, validâ vi sternit inertem,
Rupta pudicitiæ vincula firma meæ.
Indicium sceleris persectaq́; lingua loquenti,
Ne qua forent tanti nuncia signa doli.
Talis eras, Tereu, nobis: sic flemus inultæ,
Sic adit Ionios spiritus iste Deos.

At ſoror, in ſomnis cur me tua terret imago?
Cúrue tegit vultum plurima penna tuum?
Ipſa mihi videor picto frondator amictu,
Et mecum triſtis conuolat ales Itys.
Ales & Odryſius, lucent cui vertice criſtæ,
At ſignata leui ſanguine penna tibi.
Quicquid id; inclusâ gremio decedimus aurâ:
Siue ferox Tereus: ſeu ſoror iſta legat.

Argumentum in decimam.

ASdrubalis Pæni Sophonisba filia Syphaci nupſit, eô animo, vt Numidiæ regem Pænis aduerſus Romanos belli ſocium adiungeret, ſed cùm à C. Lælio, & Maſiniſſâ Syphax captus eſſet, victoréſque ad Cirtham caput regni oppugnandam prouolaſſent, occurrit Maſiniſſæ Sophoniſba, & à victore formâ & eloquentiâ non modò veniam extorſit, ſed adeò pellexit, vt illi nuberet; Item ab eo impetrauit ne Romæ in triumphum captiua duceretur; Sed cùm iſtud pręſtare nequiit: rei enim ſumma ad Scipionem imperatorem pertinebat, in tabernaculo grauiter ſe afflixit, venenumque ad Sophonisbam miſit promiſſi memor. Illa verò prius-quàm hauſit, hâc epiſtolam ſcribit ad Maſiniſſam, quâ ſuum amorẽ docet in patriam, eumque à Romanorum partibus ſtudet reuocare, Syphacis ignauiam execratur, qui capi ma-

luit, quàm oppetere, reseruari in triumphum, quàm sibi manum inferre: Postremo se Didonis effigiem famæ prius quàm vitæ ratione͂ habituرã.

SOPHONISBA MASINISSÆ.

SCilicet obscuro toties mihi noctua tigno
Id cecinit, toties Punica dixit anus.
Nec mora. stant lentum mihi respirantia tabu͂
Pocula, sed merito fortè minora meo.
Scipiadum furiæ: Masinissæ dira mariti
Munera: Romulidu͂ crimina: noster honor.
Nec procul aurati cuspis nitet ignea ferri,
Ne tua sint magno toxica lenta malo.
Sic decet, vt memini, Carthaginiensis Elisæ
Me genus, & terræ semina Sidoniæ.
Nec me captiuam Tyriis inimica Quirini
Roma per indignas ludet inulta vias.
Polliciti fuit illa tui pars prima. peractum
Quod volui. noster cætera nescit amor.
Hæc mihi tum primùm vultu prædixit acerbo,
Cum subij tectum libera nupta tuum
Lælius; & nostræ risit compendia flammæ,
Non, ait, huic co͂iunx, sed mihi capta iaces.
Exilij pauitans, & amari dicta Latini
Deuoueo, vitæ vox inimica meæ;

Id quoque nox eadem, quæ me tibi iunxit amantem
Edidit, & fati conscia Iuno mei.
Dira per emotam currebant somnia mentem,
Nulla quies thalamo, non fuit vlla toro.
Nunc Dodonæi tanquam tinnitus aheni
Murmur, & ignauâ tympana tacta manu.
Nunc vento motæ tanquam spiracula siluæ,
Sibilat ex imo flebilis aura solo.
Scilicet iratæ mihi nuncia signa Cytheræ.
Quid mirum? generi mitior illa suo.
At chara ô vtinam! tibi tam tua fama fuisset,
Quàm mea sunt tenui funera grata mihi.
Non ita Scipiadem coleres, Masinissa, nec vn- (quã
Præciperet capiti barbara Roma tuo.
Non miles domini sequereris signa Quirini,
Nec quateres Libycam flebilis vltor humũ.
Sed tibi seruitium misero, mihi labilis auræ
Libertas decori, lux tibi, parca mihi.
Non ego, quod Numidas retulit mihi nuncius, optem
Adiiceres summam, sanguinolẽte, manum,
Nec quæ tu Tyriæ misisti munera nuptæ
Officerent capiti pocula pota tuo.
Vni parca mihi sit laurea, dignus Elisæ

Sim sanguis, terræ fama prior Tyriæ.
At te per Diuos oro, Masinissa, Libyscæ
Telluris, generi, perdite, parce tuo,
Et coniurati pernoscere signa Quirini
Desine, Sidoniis liber vt esse potes.
Proh! in te Tyrij quid commisere? quid optas
Infœlix priscæ Sidonis excidium?
Lapsaq́ taurini, Mauorte perennia muri
Culmina? Iunonis vincula rupta domus?
Libertinus eas Italum, fœcisq́; Quirinæ
Pileolum vt gestes. quis furor? anne Deos?
Anne putas cœlum Masinissa, piumque iuuētæ
Si decus? an famæ nomen inane tuæ?
Si colis Iliacos, quòd te victoria tantùm
Tangit, & in vario puluere lectus honor,
Viuit adhuc victor Latiis in finibus ingens
Hannibal. hostiles per mare mittit opes.
Paret adhuc Tyriis Trinacria: fortis Iberi
Littus: & aurati pascua curua Tagi.
Et nihil amissum, Numidûm se ductor inermē
Dedidit, ô pœnæ debitus ille suæ.
Dedidit & Latiæ nunc pondera rauca catenæ
Pertulit, & Libyco noluit ense mori,
Vecors, erro, puer, nostræq́; teterrima terræ
Bellua, fœmineæ debilitatis honor.

Maluit infensi frontem spectare Latini,
Dum cadit ignauæ turpior imber aquæ:
Quàm pulcro interitu trabeati tecta Quirini
Temnere, quàm summum laude subire diē.
Quin & adhuc poterit claro vitare triumphū
Funere, si timido mens foret vlla mori.
Non potuisse mori fictum, quia tenuia vitæ
Quidlibet abrumpet stamina, fata nihil.
Pectora seruitio si colluctantur acerbo,
Inuenient fortes funera grata pedes.
Sique pedum durâ stringuntur compede nerui,
Eripiet lucis tædia clara manus.
Et si serua manus, cerebrum collidere saxo
Quid vetat? & fortem, qualibet arte mori?
Sed neque vis animi, neque tāta potētia victo.
Ibit, & hostiles sentiet ille Deos.
Turba leuis Numidū comitabitur, ista ferētem
Ludet, & agnatos, horrida Roma, meos.
Nec tamē hūc puduit molli me stringere dicto,
Autoremq́; sui constituisse mali.
Tanquàm Romuleos fugeret fauisse puellam
Sidoniam Tyriis. qui meus esset honor?
Scilicet ignauum coluissem nupta maritum,
Hôc tantum triti nomine connubij.
Ni me consensus Tyrium mouisset, & autor

Hannibal, & patrij qui potuere Dij.
Viuere me Tyriis voluerunt numina, lecti
Læduntur ciues, vincula nulla mei.
Et vixi Tyriis vitæ dum futulis aura
Non fuit, ignauæ nunc mihi suaue mori.
Oppeterem tantùm melius, si nulla fuisset
Agnita connubij vota secunda mihi.
Hôc tantum primæ vicio cantabor Elisæ
Inferior nostri sic voluere Dij.
Hausimus intereà pateram tua munera, feruet
Ilia, delectus contrahit ora dolor.
Subsidunt lento morientia lumina somno, &
Hôc tantum fremitu debiliore cano.
Roma potes patriã, potes horrida Roma maritũ
Demere, sed vitæ non mihi iura meæ.

Argumentum in vndecimam.

PAulinam Saturnini coniugem vehementer amauit D. Mundus, cuius castitatem cum expugnare non potuit, affixus toro doluit grauiter. fortè illi fuit Ida nutrix ex Ægypto, cui cùm ægritudinis causam detexisset Mundus, potiundi spem fecit 20000 drachmis. templum ergo Isidis adit; hæc enim sacra tum Romam translata, summo in honore fuerunt, æditüum corrumpit auro, & quid

fieri velit, indicat; ille Paulinam domi conuenit, dilectámque ait ab Osiride, monet ne Deum negligat, parituram orbis dominam; credidit mulier, vesperi in penetrale deducitur, excipitúrque à Mundo suauiter, quem in tenebris Osiridem putauit. Paulò post fit Mundo obuiam, & ludibrio habetur. dolo detecto sese afflictat Paulina, & ad Tiberium Cæsarem rem detulit; Mundus in exilium damnatur, Isidis simulachrum Tiberi dimersum, Sacerdotes cruci affixi. Postremò sibi restituta Paulina hanc ad Mundum scribit, quâ dolum enunciat, suámque pudicitiam tuetur.

PAVLINA MVNDO.

Candida seu facili tolluntur lintea vento,
Mobile sopitâ cùm fluit æquor aquâ:
Seu ratis aduersis pelagi contunditur vndis,
Cùm negat assuetā cum Ioue Castor opem.
Expedit extento confidat nauita clauo
Impiger, & duros leniat arte Deos.
Sic mea seu pietas, seu mî tua crimina, Mūde,
Officiunt, tuto dego supercilio.
Nec quoque sint tanti tua mî commercia, sola
Quæ venit ex merito culpa pianda venit.
Artibus annosi veniunt in retia cerui,
Collaq; magnanimi fraude teruntur equi.

Insidiis cedunt quæ tranant æthera pennis,
Pisces è mediis eliciuntur aquis.
Artibus imperium, munitáque mœnia quondam
Diruta, fatali semiteguntur humo.
Nec cuiuis genium, nec aperto viuere voto
Quæ primùm venit stamina parca dedit.
Quæque suam patitur sortem, cui cādida vitæ
Omnia fluxerunt tempora nulla fuit.
Vidit & insidias Venus aurea, magna Quirini
Mater, Echionio Cressa relicta Deo.
Sic doluit Dido, Rhodopæia Phyllis, & ipsa
Quam coluit cæsis Lemnia terra viris.
Tyndaris, & pomo quam vicit Acontius, icta
Tu Diomedæo Callioneira dolo.
Et mea me pietas feriit, mihi numina mentem,
Ac ementiti surripuere dij.
O vtinam! tunc cùm Phariis è finibus Io
Venit, & obliquâ tympana tacta manu:
Mobilis erro, Deæ nomen mentita, Latinis
Dura, pudicitiæ perniciosa meæ:
Atque simul Serapis, toruæ cui cornua fronti,
Isidis indicio proditus ille suæ:
Ambo fæcundi periissent gurgite Nili:

Ebibit impuras aut vbi Memphis aquas.
Non mea me pietas, non elusisset adulter
Improbus, & famæ proditor ille meæ
Aedituus, leno, iuuenum corruptor, auarus,
Sacrilegus, temtor relligionis, iners.
Principis imperio, neque tu pro crimine, Munde,
Desereres patriam, mobilis exul, humum.
Ah pudet! & memini quâ primùm fronte timentem
Cepit, & eloquio me scelus ille suo.
Pæne dies abiit, viridique propinquior vndæ
Pronus in occasum Cynthius egit equos.
Vt tulit euentus fidentis in æde mariti,
Ducebam facili lintea pensa manu.
A dextrâ famulæ telas texere frequenter,
Et fuit à læuâ picta tabella mihi.
Hic erat Emathius, sub Olympia mater, & olli
Pectus qui premeret corniger Hammō erat.
Hæc ego dum meditor Phariâ de gēte sacerdos
Intrat, & ô tacitè, filia, dixit aue.
Est rigor in vultu, descendunt vertice cani,
Et fluit in siccum candida barba sinum.
Ilicet accedo, & narrantis ab ore superba,
Plena peregrino pendeo tota Deo.

Tum pius æditūus, nisi mî parere tonanti,
Dixit, & immensi nuncia ferre dei
Fata, Diique darent, non te Paulina pudētem
Aggrederer, Latiæ nec foret istud opus.
Sed decreta Deûm fatalia, corniger Hammō,
Et qui Niliacæ rector Osiris aquæ,
Te sibi connubio iunxit, partemque perennem
Indelibati te iubet esse tori.
Cuius concubitu Latium qui temperet orbem
Concipies, fati nescia tota tui.
Hoc Iouis imperium, mulier, parere negantem
Sublimi summus sternet ab arce Deus.
Protinus erubui, neque fari lingua volenti
Vlla fuit, quoniam mens mihi nulla fuit.
Hinc pudor, hinc pietas, & famæ terror iniquæ,
Hinc honor, & tanti numinis vrit amor.
Improba simplicitas, & mens nimis inscia ficti,
Hâc merui solâ credulitate mori.
Conuenio, victor leno discedit, euntem
Prosequor, à sensu tota remota meo.
Nunc genus Herculeum meditor, prolemque perennem:
Nunc placuit tanto concubuisse Deo.
Ornantur digiti gemmis, & tempora myrto,
Pendet ab erranti candida ralla comâ.

Nox

Nox erat, & vicos tenuit curator: in ædem
Tendimus, occlusas excubat ante fores
Laurifer ædituus. sed cur ego pluribus? eheu
Capta fui sacri relligione loci.
Et mea me pietas, & me meus abstulit error.
„ Ignorat fictos credula turba Deos.
„ Res mala relligio metuenti numen, amanti
„ Res bona. proh mea mî terror, & error erat.
Nec satis incautam tibi perdere, vincula raptu
Soluere, quæ iunxit connubialis amor.
Obiicis insonti crimen, tua nomina, Munde,
Detegis, & pleno verba canina foro.
Nec metuis pœnam, legemq; perennis Iuli,
Et genus, & nostras, improbe, temnis opes.
At non Romani plectentem principis iram,
I, fuge nunc patrias, mobilis erro, domos.
Aut adeas Rhodopen, litusue binominis Istri:
Aut vbi turbatis Inachus errat aquis.
Aut vbi Sauromatæ procincti pelle ferinâ,
Gaudent, ignauæ viuere more feræ.
Te soles tepidi, brumæ te frigora tentent,
Emendicatus temperet ora cibus.
Inque peregrinâ tumuleris temtus arenâ,
Et tua subtristis viscera rodat auis.

At tuus æditiuus, nuruum corruptor, & ignem
Pertulit, & sceleri debita iura suo.
Templaq́; Niliaci perierunt diruta Diui,
Nec timet externos Martia Roma Deos.
Nec nocuere mihi tua crimina, protinus isto
Indelibatus carmine viuet honor.
Me licet immundā mentitus numina Mundus
Reddidit, euerso numine munda fui.

Argumentum in duodecimam.

PYramus & Thisbe Babylonij, cũ mutuo perirent amore, ne congrederentur, domesticâ custodiâ à parentibus cautum; sed cùm vtriúsque ædes muro tantùm dirimerentur, per parietis hiatum vario sermone habito flammam accendunt. Postremò Thisbe hac Epistolâ immissâ, vim amoris enunciat, parentum damnat curam, & loco & tempore designato, vt eludi possit custodia docet.

THISBE PYRAMO.

THisba suo socio, licet inuidiosa parentum
Cura vetet, mentem detegit ipsa suam.
Vrimur, vt video, teneriśq; admisimus ignem
Ossibus, & victis imperat hostis Amor:
Attamen eloquium, rubeiśq; coire labellis

Tollitur, & casti spes pia connubij.
At decor ingenij fuerit, curamq; parentum,
Et relluctantes fallere posse deos:
Nec crudele grauis munit custodia tectum,
Et prius infensa suspicione vaco:
Et mihi solamen quæ tigna reuisit hirundo,
Et libertatem nuntia cantat auis.
Et subit oblitæ syluæ vernantis imago,
Vt nitet exorto candida vere dies.
Et iuxta muros subeunt Peneia Tempe,
Et strepitus liquidæ prætereuntis aquæ,
Chaoniæ glandes, viridanti cortice myrti,
Fraxinus Herculeum cingere digna caput:
Et subeũt platani, Phœbeaque vimina laurus,
Et quæ ventorum frigora taxus amat:
Qui Cereri mitis, quo vertice gaudet Iacchus,
Quis viror in campis, quæ colat arua pecus:
Et subeunt miseræ fonti vicina parentum
Prædia, quæ purâ nobilitantur aquâ.
Et quoties subeunt, toties mea pectora tundũt,
Et duco lentam desidiosa diem.
Ac vbi concussæ renuit suspiria pulmo,
Et fletu teneræ subrubuêre genæ:
Quâ carie veteris soluuntur vincula muri,
Et patet ad socium per mea tecta via:

Accedo lachrymans tenuẽ, mea numina, rimã,
Et te concentu debiliore voco.
Rursum vbi defleui, fletusq́ exaruit vnda,
Et mea delituit, qui regit ora dolor;
Respiro leuiter, tenuique affata susurro,
Sic memoro questus heu! moribunda meos:
O sæuus paries mihi qui præcludis amantem,
O rimâ paries officiose tuâ!
Qui te dũ strueret primus cumulauit arenas,
Et secuit vili marmora dura manu,
Qui te vicini disiunxerat obiice tectum,
Autoremque mei iusserat esse mali,
O pereat laqueo, aut illi Iouis armiger artus
Conterat, aut medias ardeat inter aquas;
Aut nouus ignitæ succedat portitor vndæ:
Aut iaceat Ditis Cerberus ante fores.
At quodcunque tamen disiũxit vincula muri,
Quo patet ad Pyramum per mea tecta via.
Seu canis ille fuit, siue imperiosa vetustas,
Seu tineæ teretes, seu cariosa quies:
Seu sint vermiculi, tenuiue teredine blattæ:
Seu potius fabri desidiosa manus:
O vos fœlices! vestri præconia facti,
Ne Syriæ terris auferat vlla dies.
Et quæ blatta latet, puro modò sydus olympo

Mobile Dictæum luceat ante Iouem,
Quæque iacent tineæ, curru vectetur eburneo
Per liquidum: biiugos Cynthia cedat equos.
Vosque situs, caries, tuque imperiosa vetustas,
Quæ poteras valli soluere vincla mei,
Pergite fœlices reliquum perrumpite muri:
Et penitus veterem præcipitate domum:
Reddite me socio, grauiter graue munus amãti.
Non erit aduentu tristior ille meo:
Reddite me socio, qui me puer ardet amantem.
Eheu quàm celeres porriget ille manus!
Quam cito candentes cingent mea colla lacerti,
Quàm celer optatas carpet amator opes!
Spiranti Venerem citò virginitatis honores
Auferet, agricolæ debita poma meo.
O duræ Assyriûm leges, ô dura pudoris
Vincula, & ingratus virginitatis honor!
Qui prior edicto geminos secreuit amantes,
Puraque naturæ noluit acta sequi,
Hunc genuêre canes Scythiæ sub montibus, illi
Vbera quæ dederat lurida tigris erat.
Vt viridis paruo quercus consumitur igne:
Et cedunt minimo pabula sicca foco,
Torreor igne pari, sic me furor vrit amantem,
Et te cum memoro, torreor igne tuo.

O decus Aſſyriæ Babylon fœcunda puellis!
O tellus natis exitioſa tuis!
Cur tua ſic ſoboles ſub iniquo pondere plorat?
Cur infæcundos ſentit abire dies?
Cui nocui Thisbe? tenui quo crimine ſaltem
Has potui pœnas commeruiſſe meo?
Cur placui ſocio? cur me ſimul arſit amantem
Pyramus? ô teneris inſidioſa Venus!
Cur ita formoſæ teritur viror iſte iuuentæ?
Cur Venus indignas nectis iniqua moras?
Quis ſegetem patitur campis, vbi cãdet ariſta?
Nec Cereri flauas præſecat enſe comas?
Qui matura graui patiuntur in arbore poma?
Quis ſinit in ſicco fundere vina iugo?
Et mea Iunonem meditãtur tẽpora! proh nunc
Debita ſunt capiti myrtea ſerta meo:
Et quoniã renuunt, mihi quæ debentur amici,
Inueni faueam quâ ratione mihi.
Non tua quo quõdam premitur cuſtode puella,
Nec vigil obſtructas excubat ante fores.
Ardua per tenebras verſato cardine tecti
Egrediar: facilem Cynthia cedo viam:
Nec procul à muro veteris præconia ſurgunt
Belidis, puero cognita buſta tibi.
Fons vbi vicinus liquido pede perluit arua:

Et tegit excursas ardua morus aquas:
Hîc te conueniam, viridíque sub arbore Thisbe
Curret in amplexus ignea tota tuos.
Pyrame ne timeas à matura arbore poma
Carpere: sunt cultu deteriora tuo.
Iamque diu placuit Thisbæ fraus ista furenti,
Me nisi, qui poterat flectere, somnus erat.
Nox fuit, & requies terris, & candida Phœbe
Per liquidum tacitis altior ibat equis:
Cùm mihi visa leuis frondosa per ardua taxi
Currere: sed Stygio mox cecidisse lacũ.
Dumque per alta vehor, Syriam fugisse leænã,
Dum cado, qui foderet me tuus ensis erat.
Te tamen exanimem prius heu! mea numina, vidi:
Et mox aduentu subcaluisse meo.
Oscula spiranti lachrymans libare videbar,
Et tremulum niueo sustinuisse genu;
Teque, vbi fixisses formosa in lumina Thisben,
Inter complexus interiisse meos.
Tunc demũ mihi visa mori: tũc addidit ensem
Hæc manus, & solito fortior illa fuit.
Tunc niueum mihi visa genus mutasse crueto,
Exanimes morus quæ tegit vna duos.
Et nisi decipior, periitq; memoria facti,

Incisum vili cortice carmen erat:
Pyramus, & Thisbe, quos hæc tegit arbor amantes,
Et causâ, & ferro succubuêre pari:
Pyramus heu! lacero læsus velamine, Thisbe
Nollet amatori cùm superesse suo:
Sed valeant, pereantq́ue grauis ludibria somni,
Nec feriant vani candida corda metus.
Crastina quàm primũ renouârit lumina Titã,
Et caput à gelidâ nobile tollet aquâ,
Busta Nini venias, viuæque sub arboris umbrâ
Non tibi difficiles experiêre deos.

Argumentum in XIII.

IVlia Augusti filia nupsit Agrippæ, sed cùm liberius viueret, patri fuit odio, & primùm in Pandateriam insulam relegata est, mox impetratâ veniâ, cùm denuò malè audiret Rheganis Cæsar, qui ad Siculum fretum accolunt custodiendam tradidit. Populus verò R. rogauit Augustum vt reuocaret, ille prius flammam fluuiis misceri dixit; quare populus cùm in profluentem faces conieciſſet, irrito conatu nihil profecit. Hæc vbi ad Iuliam perlata sunt, Epistolam ad patrem mittit felle plenam, Hâc viri enunciat scelera, & nefandam libidinem, & tyrannum parentis loco non

habere, sed ferro sibi consulturam.

IVLIA AVGVSTO.

Hanc tua do, Cæsar, tibi tentatura libello,
Si melior iudex quàm pater esse potes.
Non te flectendi mihi quod spes vlla. cruenti
Notior exilio Cæsaris ira meo.
Sed prius Aeneadū ne qui mea crimina dānēt,
Quam norînt. animo sic meliore cado.
Est obiecta mihi vilis potatio: cultus
Mollior: obsceni rumor adulterij.
Exilij causæ specie tenus, ira tyranni
Re-verâ, & cerebro crimina cocta tuo.
„ Aduersum tenues nunquam defuêre potenti
„ Crimina. commoto diuite pallet inops.
„ Ciuis in innocui iugulum neque sica tyrannum
„ Deserit, amoto cum furit ira Deo.
Quò pater eloquij? tibi quid peccauit inermis
Tullius? impuro proditus ore tuo.
Quóue senator, eques, populi pars altera, quorū
Cæde suburbanæ nobilitantur aquæ?
Quò genus Herculeum? quò nobilis vltor Iuli
Marcus? an Octauî proditione iacet?

„ Proh! nihil intererit furiati ad tecta tyrãni,
„ Si semel offendas, hospes, an hostis eas.
Scilicet à nobis ferus incipis esse, nec ipsi
Sauromatæ bilem non didicere tuam.
Non satis audierant equitis lamenta poëtæ,
Iure Tomitanis quæ facit exul aquis.
Gratior innocuo populi non profuit aura,
Non veteri fœlix nobilitate domus.
Non nitor ingenij, non vberis aurea linguæ
Copia, Romulidum quâ prior ille fuit.
Quodq́; Tomitano mittit tibi litore carmen,
Mulceret Stygios lactea vena Deos.
Sauromatæ ciui parcunt, non Cæsaris ira,
Mitior ingenio barbara terra tuo.
Dic mihi quid nocuit venerum pater? anne merenti
Forsan, & insonti Iulia nota fui?
Hunc colui fateor, quæris quæ causa? merebat
Ingenio vates nobiliore coli.
Et vetus imperium, & si libera Roma fuisset,
Inferior generi non foret ille meo.
Crimina nec misero finguntur vera, require,
Non fuit in totâ castior vrbe tuâ.
Quid tamen id prodest? domino dũ seruit ini-(quo
Roma, sub irato principe iura latent.

Doctor adulterij Naso, cui mæcha volenti
Iulia, legitimum cùm nequit ira modum,
Castus Cæsar, aït, mox Liuia lena puellum
Subiicit. illa pio pectore celat opus.
Turba senum comites olli, sed adultera semper
Iulia, spectato nec comitata viro.
Castus Cæsar, aït, sed amantis in ore mariti
Cur redit à casto fœmina passa toro?
Liuia tristis alit canos in fronte capillos,
Euellit facili Iulia læta manu.
Ergo relegetur Siculos vbi respicit vnda,
Nec plebs innocuæ, nec ferat vllus opem.
Intereà caueat Cæsar ne crura capillo.
Horrida sint pueris asperiora suis.
Vre pilos nucibus, sint mollia crura puello,
Vt quod agis possis, imperiose, pati.
Non tamen exilium metues, lex Iulia regem
Legibus exemit, liber vt vnus eat.
Heu pudor! heu pietas! vbi nunc tua sicula, Cassi,
Nunc vbi sunt Bruti, Martia Roma, tui.
Romulus occubuit, Tarquinius, Appius, ipsâ
Nobilium cecidit Gracchus vterq; manu:
Iulius ille fori, & belli decor. ara cynædo
Ponitur, & purum plebs putat esse Deum;

Sanguine qui Tiberis ciuili infecerat vndas,
Quo prodente pij tot cecidere viri.
Trux, immitis, iners, Satyro lasciuior ipso,
Dedecori nobis quod pater esse potes.
Roma, pati dominum si te potuisse putabas,
Cur cecidit Bruti Iulius ante manu?
Si quis erat populo potuit qui iura Quirino
Dicere, Romulidum dignior ille fuit
Iulius orbis honor, solus virtute Quiriti
Qui potuit moriens imposuisse iugum.
Ille fuit dominus. molli parere cynædo
Dedecus. opprobrium sanguinis Iliaci.
Nec mihi quis vicio vertat, quod nata parentem
Persequor. his meruit non meliora pater.
Nec pater ille mihi, qui me temerauit, & alma
Eripuit patriæ, non pater ille mihi.
An non suppliciter patres petiere Latini?
Vt fieret reditu mitior ira meo.
Flamma prius dixti gelidâ miscebitur vndâ,
Quam repetet nostram filia mœcha domum.
Gratus amor populi, curamq; extendit inanẽ,
Arsit & immisso frigida lympha rogo.
Nil tamen indultum: vetus inclemẽtia mentẽ
Occupat, & capiti sors inimica meo.

I modo quid lubeat peragas durissime, nos nos
Ibimus immiti quò vocat ira manu.

Argumentum in XIIII.

OCtauia Augusti soror primùm Marcello nupsit, at vbi M. Antonij lectus defunctâ Fuluiâ vacauit, ad Antonium magno consensu P. R. transiit. Prius Cleopatræ fidem, torúmque coluit Antonius, & post in Syriam accersit, sed cùm absentem Octauia ferre non potuit, decreuit ad virum proficisci; Vbi verò Athenas venit, Antonij nuncio redire iussa est. grauiter id tulit mulier, & munera quæ secum attulit ad Antonium deferri curauit; deinde paruit, & Romam rediit. Sed domum suam migrare iussit frater, & viri deserere, negauit tamē se mariti domum deserturam; quin ab Augusto petiit, ne sui gratiâ arma in Antonium caperet, domumque viri vti præsens esset coluit, liberorúmque eius non ex se modò sed ex Fuluiâ magnificam curam gessit. Postremò cùm misisset Antonius Romam, qui eam domo suâ pelleret, exiit lachrymans, neque vocem in virum duriorē emisit, epistolam tamen scripsit qua ad bonam mentem vt redeat hortatur.

OCTAVIA ANTONIO.

VT rami referunt viduæ lamenta palūbæ,
Vt perit amissam fœmina turtur auem:

Te tua depereo fœlix Octauia, tantùm
Si partem lecti me paterere tui.
Non ego Niliacam cupio te pellere, nec te
Pellicis in vacuum displicet ire torum.
Quæ te delectant, mea lux, mihi grata, nec vnquam
Quæ tua sunt nobis gaudia crimen erunt.
Tantùm connubio videar tibi iuncta perenni,
Nec nouus antiqui vincula rumpat amor.
Hei mihi! quid feci? potui quo crimine pœnam
Hanc, quo commisso commeruisse meo?
Dic vbi mandatum, quando tua iussa fefelli?
Aut tua sunt monitu cognita vota meo?
Dic vbi connubium turpis temerauit adulter?
Quo precor indicio cognita mœcha fui?
Quid furis incassum? miseram quid plectis amantem?
Quò sensus abeunt imperiose tui?
Si genus Herculeum repetes, & sidera cælo,
Mouit honoratos sæpe puella Deos.
Si genus Aeneadum, Phrygij si semen Iuli,
Infima de populo non ego ciuis ero.
Non tamen vt tecum coner contendere, cũctos
Qui vincis diâ nobilitate tuâ.
At minus Aegypti certet mihi præda, nec vnquam

Pugnet imaginibus barbara terra meis.
Si te Niliacæ facies exurit, & artus
Conterit, heu! famæ perniciosa tuæ.
Antonî, subeat tibi temta Octauia, quondam
Te potui formâ demeruisse meâ.
Si capiant mores, subeant tibi curua Tarenti
Littora, tunc læto pignore fœta fui.
Sustinuere tibi tercentas cærula puppes:
Cæsar Romano milite diues erat.
Par fuit impietas, pugnæque pericula tantæ
Non illaudati pertimuere viri.
Protinùs vt memini, tum conuenere Tarenti
Pacati monitu ductor vterq; meo.
Littore tunc licuit peditem vidisse quietum,
Aequora tranquillas sustinuere rates.
Pristina subducto renouantur fœdera bello.
Ornant alternas munera multa manus.
Attica cùm tetigi confinia mobilis hospes,
Et desiderij debilis igne tui.
Signati mecum venerunt æris, & auri
Lecta per ignotas pondera mille manus.
Et delectorum duo millia, gentis Hetruscæ
Robora, tutelæ dedita turba tuæ.
Protinus accessit qui me cohibêret euntem
Nuncius, Antonî litera picta manu.

Pallida conticui ſtatuæ labentis imago,
Inque ſinum ſalſæ labitur imber aquæ.
Attamen exſequimur duri mandata mariti,
Ne tua delicto pergeret ira meo.
Italiam redii, venientem Roma cachinno
Excipit, admiſsi conſcia tota tui.
Callida tunc poſui rugas, frontemq́ benignam
Compoſui, domini ne premeretur honor.
Et reditus finxi cauſas, ſed fallere fratrem
Non potui. morbo ſæuiit ille ſuo.
Meq́ domum iuſsit migrare, fidemq́ perēnem,
Sanctaq́ delecti temnere tecta viri.
Protinus vt monuit, monitis parere negaui,
Ne fluerent facto ciuica bella meo.
His tamen ô vtinam! pellex contenta fuiſſet
Improba, diſsidium nec meditata nouum.
Miſiſti Romam qui me depellere tandem
Debuerant tectis, imperioſe, tuis.
Vix mandata docent, faciles excedimus, at mî
Fletu fœdatæ perrubuere genæ.
Eduxi mecum communia pignora, tantùm
Quem primùm peperit Fuluia, miſſus erat.
Proh tua libertas vbi nunc? vbi cādida Marci
Simplicitas? priſcus nunc vbi ceſsit honor?
Quo genus Herculeum? quo reſpirantis Iuli
Vltor?

Vltor? & insignis gloria Romulidum?
Cui cessit Brutus, cui Cassius impiger, ille
Fœmineâ vinctus compede temtus erit?
Bis captiue cades, nostri totiesq́ triumphi
Præda eris, & famæ proditor ipse tuæ?
Illecebræ Phariæ, mea te tolerantia perdit,
Coniugis ingenium, pellicis imperium.
Heu rerum series! heu inconstantia vitæ
Tempora! delicto nobilitata tuo.
Cur segetem campo Titan? cur colle Lyæum
Elicit? aduersis vt vitientur equis.
Altaq́ sidereo cur certant mœnia cælo?
Vt premat annexum fœda ruina solum.
Cur te conspicuum fecit tua dextera, Marce?
Vt lapsu læsus deteriore ruas.
Dij quibus imperium curæque perennis Iuli
Posteritas, Romæ mater Acidalia,
Amphitryoniades, Antonî gloria, noctu
Somnia quærenti da meliora mihi.
Nec me conturbent toties meliora merentem,
Funerei vultus, sanguinolenta manus.
Nox erat, Antoni, plenoq́ per æthera curru
Candida furtiuos Cynthia duxit equos.
Sola toro iacui, cùm me tua flebilis vmbra
Terruit, & timidæ, fœmina dixit, aue.

Vnus Eros aderat tecum, morientis imago
Verior, & penitus sanguine cassus erat.
Tu quoque pallebas, ductumq́; per ilia ferrum
Visus es exsangui deposuisse manu:
Inque domum dominæ proh! cor mihi quale tuenti
Pertractum lento deuoluisse gradu.
Illius in gremio vitam posuisse, sed illam
Quæ post perfoderet lucidus anguis erat.
Dira vetent superi, neq̃ue te meliora merentẽ
Quamlibet infensi proterat ira Dei.

Argumentum in XV.

ADonis Cynaræ, Myrrhæque filius Veneri fuit in deliciis. Hic dum in Idâ monte venatur primo ætatis flore apri dente sub inguine percussus moritur. re ad Venerem delatâ continuò accurrit, multis lacrymis flet amasium, vnde veteres Græci quotannis non modò Adonia sacra celebrarunt mense Iulio, sed & Hebræi, & Syri nomine Thammus. Cæterùm hæ lachrymæ Veneris. hic amasij tumulus.

VENVS ADONI.
seu Veneris lachrymæ.

ITe diu gratæ Veneri, procul ite columbæ,
Non ego carpento vector, vt antè, meo.
Deliciæque meæ virides arescite myrti,
Serta deerranti debita nulla comæ.
Proq; meâ myrto, feralis virga cupressi,
Proq; meis auibus noctua, corue veni.
Tuque puer vacuam calamis depone pharetrã,
Pòst tibi qui cudet spicula rarus erit.
Eq; tuis alis primas cum sanguine pennas
Vellè. Cupidinea cætera scribe manu.
Scribe meas lachrymas, hoc indelebile carmen,
Et pennâ, & tepido sanguine pinge tuo.
Ah! abiit mea lux: obiit formosus Adonis.
Ah! viduæ Veneris cura periuit Adon.
Ictus dente iacet gelidis in montibus apri,
Et notat infœlix inguen, & ora cruor.
Haud aliter Tyrio tinguntur lilia cocco.
Haud aliter minio rasile pallet ebur.
Oscula frigenti libamus plura marito,
Nulla sed exanimis basia sentit Adon.
Et super exsangui miserè suspiria fundo.
Quid refert? luctu non redit ille meo.
Vulnus Adon fateor graue habet, sed non minus illo.
Ah! ego sub niueo pectore vulnus alo.

Nudus Adon iacet hic viridis ſub fronde cu-
preßi,
Nuda pedes adeò per iuga Cypris eo.
Si tibi perfoſſo decurrit ab inguine ſanguis,
Et ſanguen nobis elicuere rubi.
Si tibi cæruleæ pallent in corpore venæ,
En tua nunc tecum pallet amica Venus.
Hei mihi quod Stygiā ſimul & tranare paludē
Non licet, æternam me pudet eſſe Deam.
Corde meo gemitus, oculis decurrite lymphæ,
Vbertim tremulæ currite lacrymulæ.
Ah! abiit mea lux, obiit formoſus Adonis:
Ah! viduæ Veneris cura periuit Adon.
Flete meos caſus labentia flumina, fontes,
Oceani nymphæ, mater amica mare.
Flete ſimul mecum Dryades, nitidæq; Napææ
Naiades, & cultu Flora petulca tuo.
Dumq; Venus lachrymat, decedant pabula cāpo,
Ad Veneris queſtus exue ſylua comas.
Dum Cytherea dolet, pharetram deponat A-
pollo,
Linque pater fulmen, Pan quoq; pone pedū.
Endymion Lunæ vileſcit, Iuno tonanti;
Et Iaſius Cereri: candida nympha Pani.
Parce, Ceres, ſegetem fœcundo credere campo,

Dum Cytherea dolet quæ tibi meßis erit?
Parce, Bromi, vites alto committere ſulco,
Nulla fluent ſicco vina cruenta lacu.
Parcite paſtores vaccas ſubmittere tauris,
Ipſa Venus lacrymo,tum mihi ſcribit amor.
Hæc quoque, ſæue puer, dum pingis amara, libellum
Scribendo ſalſâ dilue ſemper aquâ.
Et mecum repetas, ob iit formoſus Adonis,
Ah! viduæ Veneris cura periuit Adon.
Pulcer Adon: puerilis Adon: pudibunde puelle,
Quàm malè venator tantus amator eras!
Lumina tolle tamen licet immorientia ſomno,
Iſta ſemel Paphiæ baſia noſce tuæ.
Quod ſupereſt animæ Veneri legiſſe labello
Sit decor, & gemitus ebibat illa tuos.
Inque ſinus dominæ nudus dilabere, ceſtus
Cede: vel immites experiere manus.
Care mane, mea cura mane, mea vita maneto.
Summa ſemel Paphiæ baſia noſce tuæ.
O Erebi leges, & iura potentis Auerni,
Et quæ munitæ ſtant adamante viæ.
Arbiter inferni populi, cui militat ingens
Cerberus, & craſſâ portitor vdus aquâ.
En tibi delicium Veneris. Formoſus Adonis

Frigidus infernas excubat ante fores.
Nulla locis vnquam, repetas ab origine regni,
Pallidulis Erebi clarior vmbra fuit.
Nobilis Eurydice fidibus repetenda mariti
Bella quidem, puero quid tamen illa meo?
Raptaq́; Tænario Cereris tibi filia curru
Digna fuit thalamo, nil tamen illa, tuo.
Iuro meum ceſtum, puerıq́; Cupidinis arma,
Hunc ſimul abripiens omnia bella rapis.
Corde meo queſtus, oculis decurrite lymphæ,
Vbertim tremulæ currite lacrymulæ.
Ah! abiit mea lux, obiit formoſus Adonis
Ah! viduæ Veneris cura periuit Adon.
Aequoris intumeant vndæ: flent aëre venti:
Perpetuo madeat pallidus imbre dies.
Quo Venus Aſſyrio ſtruit hæc monumenta marito,
Ducitur extincto quo pia pompa viro.
Rumpe puer tumulo ſuper hoc tua tela Cupido,
Et lacryma tua dum ſpicula rumpis Amor.
Deme tuis, Hymen, ſertum geniale capillis,
Nec niteat triſti candida teda tibi.
Ite ſat eſt. Charites componite mēbra mariti,
Vulnera formoſis cruda lauentur aquis.
Intonſi fluitent niueâ ceruice capilli,

Immadeat Tyrio myrtea rore coma.
Suaue Palestinâ distillet arundine nectar.
Nardus Achæmenio spiret odora cado.
Postremò positi scribe hoc in margine carmẽ
Marmoris: Hic Veneris vir iacet albus Adon.
Siste puer sanguẽ, tua ne quoque funera cernã.
De tabulâ fessam, dum fleo, tolle manum.





IMITATIONS SVR LES DEVX PREMIERES EPISTRES de M. Alexandre Boyde.

Par P. C. D.

L'Argument sur la premiere.

ATalante vierge Calydonienne, & compagne de Diane, du tẽps, que les Princes d'Achaie s'assemblerent en Ætolie, pour secourir Meleager fils d'Oeneus à tuer le sanglier Calydoniẽ, y assista auec les autres. Et estant duicte à la venerie, elle ferut le sanglier toute la premiere; & pour marque de sa prouesse en reçeut la Hure de Meleager. Mais depuis, qu'elle l'eust veu, elle en deuinst eperdument amoureuse: & luy reciproquement d'elle aussi. La vierge pourtant comme la plus impuissante, ne pouuant plus porter la flãme, dont elle brusloit, descouure la premiere sa playe: & par ceste Epistre raconte la violence de s'amour; & semond Meleager à sa couche, qui lui est neant-moins fatale.

ATALANTE A MELEAGER.

LY ces vers amoureux, que d'vne main tremblante
T'a tissu ta mignonne, & t'amour Atalante;

Mais tout bas a part toy; ſi que de ſon Croiſſant
Cynthie ne te voye, ou ſa troupe chaſſant;
Et que fatalement de meſme crime attainčte,
Que fut Lycaonis Nymphe belotte, & coinčte,
Ie ne meure ſoudain: ſoit qu'elle aille vangeant
Ton Epieu tu-ſanglier, ou ſoit que me changeant
En Ourſe pour iamais d'vne voix elourdie
Ie pleure mon Deſtin ſur les monts d'Arcadie.
He! que c'eſt que d'aimer! ie voy bien mille feux
Que ma Honte m'allume aux ioues, & aux yeux;
Je voy bien mon ſoucy, dont la tançon debile
Veut retenir le cours de ma main trop habile:
Mais las! c'eſt bien en vain: car le feu de m'amour
D'impetuoſité s'enfort de ſon ſeiour:
Et ainſi haletante és ardeurs de ma flame
Ie demeure priuée & du ſens, & de l'ame.
Qui a veu quelquesfois aux coſtes de la mer,
Quand le ſablon, & l'eau commencent d'eſcumer,
Et que les vents eſmeus ſur la face de l'onde
Semblent de ſac entier menaſſer tout le monde,
Le Nocher, qui douteux, pâle, & defiguré,
Jette dedans les Eaux de l'Ocean iré
Ses cordages, ſon maſt, ſes voiſles, ſa denree;
Qui laiſſe a l'abandon de l'onde courroucée
Sa Barque en ſouſpirant, iuſques à tant qu'encor
De ſon aſtre benin la bienheure Caſtor,
Ou quelque autre des Dieux de nature piteuſe;
Helas! celui m'a veuë eſperdue amoureuſe,
Sans Eſprit, ſans raiſon, ſans aucun iugement
Suiure mes paſſions pour tout contentement.

Mesmes d'autre plaisir ie n'ay ores enuie
Que de celui qui vient de ma chaude folie;
Ie me pay de mon mal, & n'ay honte d'aimer
Les flames dont ie sen mon Esprit consumer.
Soit que sur les taillis, quand maint Oyseau degoise
Mille souspirs d'amour, de mes glus ie l'empoise;
Soit, que chassant au Cerf ie luy tende la ret;
Soit, que i'aille cueillant le lin dans vn gueret:
Soit qu'a Diane aussi de la toile ie lisse;
Soit, qu'aux ieusnes taureaux quelques frõtaux ie tisse:
Soit, que bandant mon arc ie le face parler,
Et que d'vn traict iasard i'en anime tout l'air,
Helas! ie me souuien du iour, & de l'annee,
Que ie laissay tes Boys, ô forest Pleuronée;
Ce iour las! ce faux iour de mon ame vainqueur
D'vn triste souuenir m'entame tout le cœur.
Mais las! que sert il plus, que la ressouuenance
De ce lieu que tu sçais, la memoire m'offence?
Ny les champs Lycæens, ny les Menaliens,
Ny Tempé les amours des champs Aemoniens,
Ny les autres Tempé, dont l'herbette, qui monte,
Est lauée des eaux de la mignarde Oronte,
Approchent la beauté de ce diuin seiour,
Tesmoing de nos baisers, tesmoing de nostre amour.
Car, si bien me souuient, cest amoureux repaire
Est vn lieu tout couuert de Cyprez funeraire,
Où l'onde Euenienne à ruisseaux ondoyans
Arrouse menũment les Chesnes verdoyans:
Où sont les Coudres durs, & les myrtes Cyprines,
Et les arbres aimés des feres sauuagines,

Le pampre crepelu, qui courtiſe les eaux,
La moiſſon de Ceres, le iargon des oiſeaux,
Et l'Once effarouché, & la rouſſe Lionne,
Qui felonnement fiere, & fierement felonne
Nourrit dedans ſon ame vn genereux braſier;
Mais ou eſtoit ſur tout ce farouche ſanglier,
Ce ſanglier Calydon, le ſuiect de ta gloire,
Le prix de ta vertu, l'amour de ta victoire,
Le malheur de vos blez, l'effroy de vos chemins,
Le fleau de ma Princeſſe à vos peuples mutins,
Dont l'indeuotion, & le meſpris profane
Rebutoit les autels, & l'honneur de Diane,
Quoy, que depitément d'vn reſpect enuieux
Reueraſſent le nom de tous les autres dieux.
Tous les Aetoliens d'vne couarde crainte
Eurent le cœur ſaiſi, & l'ame toute eſtrainte,
Quand bruſlant du beau feu, qui t'alloit ſaccageant
Luiſant en clinquants d'or, & en clinquants d'argent
Tu parûs tout armé, monſtrant ſur ton viſage
Du deſir d'vn grand Lôs engrauée l'image.
Tu ne parus pas ſeul; quelques Aetoliens,
Quelques Curetiens, & quelques Argiens,
Dont les honneſtes cœurs, & les mains, & les ames
Couuoient de quelque honneur les deſireuſes flames,
Comparurent auſſi; Plexippe, Calydon,
Toxee, maint berger, & maint gros eſcadron
De paiſans acharnez, qui ferus de cholere
Beoient apres le ſang de ceſte male Fere,
Comparurent vangeurs du degat de leurs blez,
Que naiſſans elle auoit farouchement emblez.

Et, si ce m'est honneur, que ie soy de ce nombre,
Ie paru, comme toy, dedans la forest sombre,
Vierge, fille de Roy, chasseresse d'Argos,
Ne sçachant que c'estoit de cuire dans des Pots
La toison Tyrienne, ou d'vne main patouille
Mignarder les filots d'vne peincte Quenouille.
I'euz l'arc dessus l'espaule, & les Zephirs menus
Gazouilloient sur mes traicts, & sur mes cheueux nus:
De force ie pouuoy deffier les brigades
Des bergerots luicteurs, & de vistes passades
I'eusse peu des Autans les Halenes passer;
Ie nageoy seurement, ie sçauoy bien chasser.
Quoy plus? il me souuiẽt, qu'en façõ de grand's voisles
Nous tendions dans les bois les panneaux de nos toiles,
Et que sorcierement reculée a l'escart
Ie charmoy le sanglier attentifue a mon art.
Cependant la forest, l'enceincte, & les brisees
De Chiens, & de Chasseurs sont toutes bien bordees,
Mais sur tout des limiers Lacedemoniens
La meute est bien flairante entre les autres Chiens.
O combien entre tous les enfans d'Aetolie
Te fut il bien seant d'vne façon iolie
Or' de grimper vn mont, or' de courre vn vallon?
Mesmes, quand ton manteau baizotoit ton talon,
Ton manteau broché d'or à la Meonienne,
Dont t'auoit teinct le drap la Conche Assyrienne.
Que i'aimoy voir paré d'vn Epée ton flanc,
D'vne laisse ta main, d'vn desir ton beau sang?
Ie iureroy mes yeux, que tu eus mesme grace
Que l'Adon de Cypris, quand estant à la Chasse

N'agueres ce sanglier feru eperdument
De s'amour, luy perça l'aine mortellement:
Ou que Phœbus errant par les boys d'Amphrysie,
Quand il va charmant l'eau de sa tresse saisie.
Or cependant voici le Porceau, qui bruyant
Va craquetant des dents, & des yeux flamboyant;
Qui herisse le dos, qui gronde, & qui escume;
Qui ard tout de fureur, & du feu qu'il allume
Ia de nos compagnons ie voy le cœur failly:
La plusbart, qui s'enfuit, à le teinct tout pally;
Plexippe seulement, & moy nous arretasmes,
Qui quant & toy seulets au combat demeurames.
Dieux! ie vy le sanglier, qui vomissant le feu
Tout premier t'attaqua; mais à tout mon epieu
Ie luy vins au deuant, & rompy son attente:
Je fy sonner mon arc, & ma trousse tremblante;
Ie l'assenay tout-court: & d'vn traict furieux
Luy transperçay la cuisse: ainsi pleust il aux Dieux,
Qui propices alors virent mon innocence.
La fere de courroux plus que deuant s'eslance,
Le sang iaillit en hault fumeux, & ondoyant;
Ie tressailly de ioye, & de peur, le voyant
Recommancer encor, & de bruit, & de rage
A l'encontre de toy plus de meute, & d'orage.
Mais cest effort fut vain: car appuiant l'Epieu,
Sans te rien effraier, encontre vn chesne vieu
Tu estois l'attendant de pied coy, de main coye.
Il se rue d'assault, & s'enferre le Foye:
Le sang, qui ondoyant ruisselle dedans l'air
Luy fait rougir le flanc; on en voit distiller

Les sées goutte a goutte, & le ventre & l'echine.
En fin n'en pouuant plus, ceste Fere maline
Se laisse aller par terre, & d'vn dernier sommeil
Elle clot pour iamais la paupiere de l'œil.
Tu rougis tout allors, & humant la louange
Tu luy coupas la Hure, & (ô merueille estrange)
On voit mort estendu par tout ensanglanté,
Pasture des Corbeaux, ce tronc decapité.
Diane le voit mort, & temperant son ire
Sur le haut d'vn Rocher seulette elle souspire.
Cythere sa haineuse, & Cupidon aussi,
Qui mussez soubs vn myrthe auoyent veu tout ceci,
Estoient se pamans d'aise, & se mourans de rire.
Ha felon Animal (se print Venus à dire)
Tu ne mordras donc plus mon Adon, mon cheri,
Mon mignon, mon saffret, mon ami, mon mari.
Elle eust dit tout soudain: mais tu n'y prins pas garde,
Tant rien plus, que mon œil, ton bel œil ne regarde.
Vis-ie bien toutesfois, que d'vn clin trauersier
Elle te menassa de maint, & maint brasier:
Ha mignon, ce dit elle, & vous brauez les Dames:
Je vous en forgerai des amoureuses flames.
Je iure mes tettons, que vous me le paierez,
Et que c'est de mon fils, & de moy vous saurez.
En ce pendant (ô Dieux ce penser me bienhûre)
Du sanglier etronqué tu m'enuoyas la Hure:
La Hure mes trofés, mes Honneurs, mes amours,
L'heur de mes ieunes ans, le los de mes vieux iours.
Mais helas! si tu veux qu'a iamais ie me plaise,
A voir si beau present, & que ie brusle d'aise:

Je te pri' mon saffret, ie te pri' mon mignon
Vien le voir, vien me voir, & nous sois compagnon:
Vien mon œil, mon souci; de m'amour mieilliere:
Tu seras tout content, ô vien donc ma lumiere!
Vien ie t'en prie encor: ainsi pourras tu bien
M'enchainant doucement d'vn nœud Cytherien
Me rauir le nectar, & la douce ambrosie,
Dont ie n'ose parler de vergongne saisie.

Argument sur la seconde.

DIomedes Roy d'Ætolie estant venu à Troye fut estimé le plus en courage, & cheualerie apres Achille, & Aiax. Ses Duels contre Hector, & Ænée; la prinse des cheuaux, qui estoyent fataux aux Troyens, ayant tué Rheesus; Mars, & Venus blessez par luy le monstrerent euidemmẽt. Mais Venus indignee de sa blessure, alluma sa femme Ægiale d'vn si grãd brasier de turpitudes, & lasciuetez, que pour l'amour de cela ayant en haine sa patrie, il se resolut de ne retourner iamais en sa maison. Or comme il estoit errant en son bannissement volontaire, il vinst au royaume de Lycus homme sanguinaire, & qui auoit de coustume de tuer ses Hostes. Sa fille Callioneira, que les autres nomment Callirhoë, ayant pitié de Diomedes le deliura de la cruauté de son pere, & lui fit part de sa couche. En recongnoissance de ce merite il la delaissa desloyalement. Partant elle luy enuoye ceste Epistre, & en icelle lui faict recit

de ses bons offices, luy met en auant sa desloyauté execrable, & s'efforce, mais vainement, de le faire demordre de sa resolution. Car il y perseuera sans fleschir, qui fut cause qu'elle s'estrangla miserablement.

CALLIONIRE A DIOMEDE.

HE! si comme ie suis eperdüement dolente
Dequoy tu n'as tenu ta promesse constante,
Ainsi ie fusse esté de celles, que tu as
Trompées comme moy, la premiere en tes lacz,
Ha! meschant, i'eusse peu d'vne main plus escharse
Tirer sur ce papier le pourtraict de la farce,
Que tu vas me iouant; & presque mon amour
Bloty dedans mon cœur n'eust oncques veu le iour.
Mais quoy? la pieté, & la foy, & la honte
Tant esloignantes sont ta bouche, qui les conte,
Comme sont loing les flûs au riuage Adrien
Des vaisseaux baloyants l'Ocean Syrien;
Ou comme desloyal à ta Callionire
Tu t'en vas esloignant ma couche, & mon Empire.
O ie deusse sçauoir, que comme l'Ocean
Est par tout desloyal au bord, & au mitan,
Ainsi l'est tout banny, qui d'vne ame changeante
Abandonne les siens, & les estrangers hante.
Mais, bons dieux, qu'ai-ie faict? quelle chaude fureur
Brûla serpentement mes veines, & mon cœur?
Pourquoy fus-ie attisante vn brasier dont la flame
Et de moy, & des miens va cendroyant la fame?

Las!

Las ! tout ce mien malheur m'est aduenu d'aimer
Nostre hoste Diomede, & pour ne consumer
Es flames de s'amour, d'vne langue amoureuse
Luy auoir dict; Mon pere a la main massacreuse.
Mais ce ne fut pas tout; ô mien plus grand delict,
Ie luy fy part aussi de mon virginal lict;
Et dans cest Ocean d'amour ie fy naufrage;
De mes honneurs Royaux, & de mon apanage.
He, bons Dieux, qu'ai-ie faict? quoy? ie ne soignai point
Tant de Diuinités, dont le foudre me poinct.
Ha Iuno, ma haineuse! ha! quelle mienne offense
Fut celle, qui sur moy attisa ta vengeance?
Quelle fut mon erreur, ma fraude, & ce blason,
Dont i'aie pollué ta sacrée maison?
Quoy? as-tu iamais veu tes arès allumées
Veufues de mes bassins, ou bien de mes fumees?
Est-ce moy, qui iamais failly d'ensanglanter
Chacun an tes autels, ou ceux de Iupiter?
Ah! non, mais bien souuent en faisant mes offrandes
I'attifay mes cheueux de sacrees guirlandes:
Ie tins l'vrne en la main, & d'vn zele ialoux
De me voir dediée à vn loyal epoux
I'eus tousiours ces propos chastes dedans ma bouche,
O Iuno donne-moy l'heur d'vne saincte couche.
Mais ie n'auançai rien: car ô Dieux, ces miens cris,
Ces larmes, & ces pleurs te furent à mespris;
Si que moy, que deuant des voisines Prouinces
Courtiserent ieunette & les Rois, & les Princes,
Helas i'ai veu mon sang, & mon Nom tout honny

Par le puant mespris d'vn soldart forbanny.
O faux ieux de fortune! Est ce toy Diomede
Qui me laisse mourir, me niant tout remede?
Ainsi me donnes-tu pour la vie la mort,
Les larmes pour les ris, les pleurs pour le confort!
Ha non. ne le fais pas: ains me sois pitoyable.
Je t'en pri' par nos yeux; par l'herbette agreable,
Qui premiere nous vit sur ses menus gazons
Contentans nos amours en douces pamoisons;
Je t'en pri' par mes yeux, & par ces mammelettes,
Que tu soulois nommer du nom de fraiselettes;
Et bref par tout cela dont i'ai peu meriter
Tes amours, ta pitié, ton aide, & ton haster,
Aie pitié de moy, las' que tu voys mourante,
Et despouille ton ame hagarde, & inconstante
De ce vilain fardeau de la desloyauté
Qui t'a de mes amours si soudain escarté.
Vois-tu pas Orion, qui tremblant de la teste
Menasse tes vaisseaux d'orage, & de tempeste?
Oys tu pas les soufflets des Autans emplumez
Contre les flots verrins de la mer animez?
Ha Dieu! tu ne puis pas soubs la brumeuse estoille
Du Lycaonien maintenant faire voile.
Mais quoy? pose le cas, que le vent fut benin,
Et que d'vn souffle ami il donnât dans le sein
De ta voile ampoullee. He! malheureux Tydide
Quel chemin prendrois-tu? ou irois-tu perfide?
Las! combien de dangers ton ame va couuant!
Le Regne Aetolien vois-tu pas deceuant
Tes desseins écrestez? as-tu pas souuenance

De la terre barbare, ou tu prins ta naissance?
C'est tout faict d'Ilion; ses Pergames fameux
Ne sont plus rien que cendre, & masureaux fumeux.
Ce seroit vainement, que tu y prendrois terre.
Les Gregeois n'y sont plus, on ny faict plus la guerre.
Ha traistre me fuis-tu? Est ce donc ci le cas
Que tu fais de m'amour, de mon lict, de ces bras
Dont tant ie t'embrassay, quand d'vn baiser farouche
Tu allois suçotant le miel dessus ma bouche?
Fais-tu si peu de cas, qu'vn Ocean larmeux
Efface ma paupiere, & qu'vn effroy pameux
Tranche ma cheuelure en cent parts herissée?
Las! si c'en est ainsi, ie m'en vay trespassée.
Car que feroy-ie plus? de quel solide espoir
Couueroi-ie ta fraude, & ce mien desespoir?
Ou iroy-ie paunrette ainsi abandonnee?
Quel seroit le logis de ceste infortunée?
Helas ie n'oseroy, tant mon Pere est sanglant
Me trouuer deuant lui en estat si dolent;
Ie lui seroy Hotesse, & non Callionire.
C'est luy, qui prend plaisir de teindre le Porphyre
Aux ares de ses Dieux du sang le plus humain:
C'est luy qui prend plaisir d'vne sauuage main
Ses Hostes massacrer, & de humaine Hostie
Mitiguer de ses Dieux la colere rotie:
Las! il prendroit plaisir, tant il aime a ferir,
D'auoir occasion de me faire mourir.
Il me rûroit au feu; & la flame gourmande
Consumeroit soudain si delicate offrande;
Ou bien dedans ma gorge il iroit arrousant

Sa main effarouchee, & son Epé luisant.
Las helas! ce seroit à tort & sans offense
Que ie seroy l'obiet de telle violance;
Car ie n'ai rien meffaict, sinon que i'empesché,
Qu'il ne te massacrâ; voila tout mon peché.
Et si ne me repen, dequoy toute idolatre
De tes ieusnes vertus d'vne pitié folastre
Ie te fu secourante; & onques-mais pour rien
Ne me repantirai de cest office mien.
Mais quoy? si desormais d'vne ame vagabonde
Resolu de partir tu te commets à l'onde;
Ha ne sois pas seulet me laissant en esmoy:
Je t'accompagnerai; Tydide, emmene-moy.
Que ce bannissement, que ceste departie
Ne se face sans moy: ie suis de la partie.
Je ne t'honnirai-pas: ie suis ieunette encor',
Je suis belotte aussi, ma cheuelure est d'or:
Ie ne te serai-pas pesante, ny fascheuse:
La femme à son mary n'est que des-onereuse.
Mais las! si tu as peur, que ceste pieté,
Ces offices amis, & ma tendre beauté
Te soient à infortune, aduisons-y ensemble;
Vn malheur bien preueu ne peut rien ce me semble,
Et souuent d'un hostel le debris presagé
A ton veu aduenir sans auoir saccagé
Ses hostes aduisez, Prophetes de la cheute:
Et souuent d'vne espée on esquiue la meute
Quand on preuoit le coup; ainsi pourrons-nous bien
Preuoyans nos dangers les resoudre en vn rien.
I'aurai la face masle, & de ma Cheuelure

Vn cizeau tranchera l'ondoyante dorûre;
J'oseray bondissante, & hardie du pié
Empoudrer vne place, & picquer vn destrié.
On m'ostera ma robe en plis damasquinee,
Et puis on vestira ma cuisse effeminée
D'vne Gregue estrecie; où tes yeux esperdus
De m'amour, en biaizant, demeureront tendus.
S'il t'aduient quelquesfois de combattre en carriere
Sur vn chariot peinct, i'en feray charretiere;
Si tu combas à pié dans vn camp estranger,
Mienne aussi en sera la moitié du danger;
Si tu vas à la chasse aux forests d'Aetolie,
Ie tendray tes Panneaux selon l'art de Delie:
Si tu es dedans l'eau peschant au Hameçon,
Ie tirerai la rame, & gard'rai ton poisson;
Bref, si dedans ton flanc d'vn glaiue funeraire
T'aduenoit de sentir la poincte mortuaire,
Alors vne mesme vrne, & vn mesme tombeau
Nous logeroit tous deux soubs son pierreux bandeau.
Seulement ie te prie, ô amoureau Tydide,
Ne me laisse point-ci à mon Pere Homicide.
Aye pitié de moy: ne permets, que ie soy'
De mon Pere sanguin la victime, & la proy'.
Mais las! ce sont des cris, des plains & des pensees!
I'auroy plustost conté les Herbes amassees
De quelque pré fertil, ou les baueuses eaux
De la mer Ionique, ou de l'air des oiseaux,
Que ce traistre m'ouït, & changeant de courage
Haït sa perfidie, & n'aimast mon dommage.
O Dieux! combien de fois m'ont chanté tout ceci

Le Hibou solitaire, & la Fresaie aussi,
Deux Prophetes maudicts de toute ma ruine,
Dessus les solliueaux de la maison voisine!
Combien de fois helas! me l'ont prophetizé
Nos vieilles, ma nourrice, & maint Corbeau prisé,
Qui refusant ma main, & sa douce Curée
Me disoit ce malheur d'vne voix enrouée.
Ha! Gregeois desloyaux! cest-ci vostre façon,
Vous auez deuant Troye apprins ceste leçon
De fausser vostre Foy, & de tromper les Dames.
Ainsi Demophoon amortissant ses flames
Sa Hostesse Phyllis traistreusement trompa.
Le desloyal Thesée ainsi de mesme appâ
Abandonna s'amour, sa belle Ariadnie
Quand elle sommeilloit au riuage de Die.
Pourroit-on bien penser, que ce crime puant
Fut du Dieu Cuisse-né, que l'on nomme l'enfant?
Vn en y a aussi, qui banni se promene
Sur le Cristal marin de l'eau Siciliene,
Et qui va deceuant d'vn propos doux-amer,
Comme tu m'as deceu, les Dames de la mer.
Mais quoy? Il n'en est point quelque chose qu'on die
Qui iamais tant que toy vomist de perfidie.
Tu ne fais point d'estat d'Aegiale, dequoy
Elle a honny ta couche, & t'a manqué de foy,
Et cependant helas! vaincu de mesme vice
Tu mesprises mon lict, ma foy, & mon seruice.
Mais las! que me feroit vn mutin, qui osa
Se battre contre Mars; qui felon arrousa
Son epé sacrilege au sang de Cytherée;

Qui banny de ſon Louure hait d'vne ame ferrée
Aegiale la Reine, & qui ne peut chommer
De galoper la terre, & de voguer la mer?
Que me ſert il plus donc d'eſſorer mes complainctes?
Ca ça il faut mourir : que ces armes ſoient teinctes
Dans mon ſang amoureux; auſſi bien ma ranqueur
Va m'eſtoupant la gorge, & m'eſtouffant le cœur.
Va meſchant forbanny! vogue la mer cruelle:
Ie vai ou le courroux de ma Dame m'appelle.

FIN.



ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΙΑΚΩΒΟΝ ΣΕΞΤΟΝ παμβασιλῆα.

Ταῦτα λάβε βασιλεῦ, Διὸς ὦ τέκος, ἔρνος ἀνάκτων
Εἴπεα, μηδὲ νόμῳ φαίδιμα μηδὲ λόγῳ.
Ἀλλὰ νόει τέκμαρ φιλοδεσποτέρου· φέριστον
Τοῦτο δὲ μὲν γερῶν εἴπος ἀηδονίδων.
Εἰ δὲ φίλον, βασιλεῦ, ἔσεται σοι, μήδ᾽ ἀλεγίζει
Μήτε νόμον κριτικῶν, μὴ φθονερῶν τε λόγον.





M. ALEXANDRI BODII HYMNI.

AD IACOBVM SEXTVM REGEM.

ROSA.

NOn cuiuis vitem committit vinitor aruo, AD I. METELANVM SCOT. CANCELLARIVM.
Non vbicūq; Ceres, & bacca virētis oliuæ
Proueniunt. meliùs tondent dumeta Tarenti
Capreolæ; meliùs Panchæâ oriuntur arenâ
Vnguenta, & magnum stringunt vineta Falernum.
At si quis Rhodopen, aut alta Ceraunia tentat
Scrutari, & veteres Orphei decerpere lauros,
Vt furit! illius tantum me alludere myrto
Calliope tenui dat cantu, & pectine picto.
Sed tu consilio quanuis, Metlane, potētem
Et munis Regem, & populo das iura potenti,
Pibracus Arctoæ, & Phœbo par Hospital vndæ,
Me lege; nec puram tibi quam decerpimus ipsi
Callimachi tumulo, duris de sentibus Hæmi

Temne rosam, at tenui da tēpora parua poëtæ.
Seu qui spirantem è viridi mirantur odorē
Stipite: seu celeris tanguntur munere formæ,
Lucani, & biferi veniant ad littora Pæsti.
Bis poma autumno leuis illic elicit imber.
Bis seges infuso caput effert humida nimbo.
Bis tentat fætura gregem. bis pabula campo,
Et rastris domiti bis turgent floribus horti.
Et rosa bis tenero prodit de palmite; vernæ
Dum labuntur aquæ, & gelidus ros pinguia lambit
Gramina; dū steriles exsudant nectara culmi.
Exit cauliculus primùm; deîn vertice pēdet
Gemmula de tenui. defendunt vndiq; frondem
Incurui calyces, baccamq; imitantia quercus
Tegmina. si mollis gemmam perfuderit imber,
Erumpunt curuæ tunicæ: sub tegmine turget
Ipsa leui auro, & suaui spiramine tentat
Nares; dum rutilo venientem inuitat amictu.
Si genus anquires, tantæ primordia formæ.
Pennifer hanc olli Veneris puer indidit Idæ
Montibus, & luctu saltus compleuit acuto.
Hîc dum fortè Venus viridem decumbit ad vlmum,
Desertoq; leues dominæ temone columbæ

Ad ripam liquidi rimantur pabula Xanthi;
Est spinâ punctus Veneris puer. ilicet ictu
Palluit, & tepido tinxit spineta cruore.
Accedunt lachrymæ; sortem miseratur iniquã
Iupiter, & sanguen speciosâ fronde rubentem
Esse iubet florem. lachrymæ mutantur eâdem
Forma; sed rubor hoc folio fit candor in illo.
Saluè perpetuũ Paphiæ decus; inclyte Diuũ
Sanguis, & herbiferi florũ pulcherrime Pæsti.
Verni cura dieî, redeuntiq; annua Tauro
Gloria; Pan viridis seu te de fronte Lycæi:
Seu te Thymbræus pendentem à culmine Cynthi
Carpit Achemeniâ miscens tua brachia nardo.
Hunc vidi florem (vati mihi vera canenti
Credite posteritas) Alpinâ in rupe legentem
Capripedem Satyrum. redolentis nectara siluæ
Ridiculo coluit rictu; dêin nare recurua
Ebibit, & cantu saltus compleuit acuto.
Accurrunt Dryades, æqualia numina siluis,
Et nymphæ nemorum, venit albo Cynthia cornu,
Et spinæ primos lætæ populantur honores.
Tum primùm faciles Bodiũ videre Napeæ
Fronde sub obscurâ coryli, cannæque latentem.

Iniecêre manum dominæ, tractumq; sub aram
Hellespontiaco vatem sanxere Priapo.
Ex illo colui nymphas, citharaq; potenti
Et violæ cecini rores, & nectara thymbræ.

VIOLA.

AD. P. FABRVM. SANIOR. THOLOS. PRAESID.

NAscentem violam, Prætor; quà pinguia lambit
Lympha Pyrenææ toties tua rura Garumnæ
Exequar, & tenui tingam dumeta rubore.
Te sine nîl nobis Deus annuit. inclyta diuûm
Cura, Caledonij videas inuenta poëtæ.
Primũ riuus vbi liquido pede perluit arua:
Aut vbi muscosos stringunt viridaria fontes,
Pumilus erumpit violæ; sed fronde recuruâ
Pactilis, excelso turget quasi bacca Venafro:
Aut tener Ideæ qui frondet echinus acanthæ.
Sed simul ac Aries cirrato vellere cornu
Exerit, & mollis nascentia compluit imber
Pabula, perrumpunt tunicæ, ferrugine lucet
Ansa leui, tortumq; caput demittit in aruum.
Si qua fides Danaûm, propter Peneia Tẽpe,
Herba vbi continuis interuiret humida nimbis
Iupiter hanc aluit, mutatæ pabula nymphæ.

Heu! quoties violā limosæ ad paſcua Lernæ
Inachis, Herculeas vbi cornua vidit ad vndas,
Attriuit pedibus, dum nare afflaret anhela.
Tu ne pudicitiæ? tu virginitatis ademptæ
Munus? ait, viridi fluis hâc quæ cortice gēma
Purpurea, & ſuaui miſeram perfundis odore.
Hæc ne fides ſuperum? ſic me deus arſit inertē
Improbus? & tenui libata rependit honore.
Hæc ſecum violæ lachrymans accūbit olenti
Inachis, & patriæ mugitu immurmurat vndæ.
Nec tantùm Lyciam, Zephyro ſpirante, per herbam
Purpureæ ſerpunt violæ; ſed amata reſurgit
Liuida, turbatæ Pactoli concolor vndæ,
Mitis, & æquoream referens ſpiramine calthā.
Hæc virtute ſuâ fluctus immiſſa marinos
Temperat, & luteo tremit indiſtincta capillo.
Sed neque te quañuis ſterilis fert ceſpes agreſtem,
Candida, prætereo; tantum tibi pulchrior illo
Eſt color, innato quantùm decedis odore.
Nec te triſtis hyēs, nec alentis frigora Cauri,
Mitior Auſonias vbi tēperat Heſperus vndas,
Exurunt niueam. Zephyro tu prima tepenti
Fis comes, & lentæ bellū geris vltima brumæ.

Quin immitis apis non tantùm ſedula ſugit
Narciſsi lachrymas, & olẽtis nectara thymbræ;
Sed violæ ſuccum tenuem: ſeu vere rubente
Surgit pura dies: molliſue interluit imber,
Et pecus intonſæ delectet candor acanthæ.
Et ſæpe ex violis pueri, teneræque puellæ
Suauè exhalantes capiti nexere coronas.
Nec te noſtra Calys tantùm; pulcherrima ſed te
Gella fouet gremio, teneræ cui lactea turgent
Vbera, cui niueæ pandus ſinus ipſe Cytheræ
Hinc atque hinc tumulo tenùs aluo cãdet ebur-
O! ego ſi fierem violæ ſpirantis imago (no.
Tum demùm, & Bodio mutatâ fronte liceret
Radicem arentem vicino intingere fonte;
Non cum ſidereo ſortem mutaret Olympo.
Et crebrò violam frondoſæ è montibus Idæ,
Cum Lacedæmoniæ Phrygiam tenuere carinæ,
Doctus Apollineâ vellit Podalirius arte.
Centauruſq́; manu Chiron, cùm Troilus enſem
Tingeret, & durus Lyrneſsida fleret Achilles.
Vulnera purpureis ardentia leniit, albis
Pus pepulit, luteis duro conferre lieni,
Et crapulam flexa potuit purgare corona.
Nec mihi ſint tanti niueo certantia cygno

Lilia: nec nardi: nec oletis virgula thymbræ,
Laudibus vt violæ certent, non fronde rubente
Quæ Prænestino prodit rosa pulchrior aruo.
Quod sinus Aemoniæ, quicquid Thebeia Tempe
Et subter-fusus liquido prælambit Orontes
Decedant violæ: violam dum Phœbus amabit
Ipse Caledonio non prænitet Hesperus Arcto.
At ne committas nitidæ sub fronte Garunæ
Quæ tibi nascũtur violæ, vel vepribus auras:
Aut interfusos declinent gramine nimbos:
Neu calami tenues, & adunco cortice scirpi,
Lentitiem quanuis, & cædua vimina cœlo
Tollant, obrepant violæ, sed fronde perenni
Hic tibi vicinos tingat ferrugine fontes.

LILIVM.

AD N. RAPINVM. IN EXCER. H. IIII. SYMMVM QVAESIT.

AMphitryoniadem puerum, distenta nouercæ
Vbera, & Aonio canimus nascentia campo
Lilia. labenti faciles accurrite nymphæ.
Nam mihi (Pierius dum feruor in aëra raptat)
Arctoo tactæ labuntur frigore pennæ.
Pellite Pierides. speciẽ decepta mariti

Alcmene postquã gelidæ prope flumina Dirces
Læta marem peperit, prolemq; agnouit Olympi,
Conuenere dij nemorum, & natale notarunt
Pallidulis oleæ baccis, & cæde capellæ.
Quinetiam venit cælo demissa sereno
Iuno Iouis coniunx, odiis asperrima diuûm.
Et quis adulterij modus? inquit, inania temnet
Pacta tori Deus, & puero parebit amori.
Prona dein terræ accumbit, puppoq; sopito,
Humentesq; sinus, atque vbera læta tetendit.
At pius hanc fraudem pepulit pater. ergo
plenis
Vberibus niueæ liquuntur in æquora guttæ.
Protinus emergunt prægrandia lilia, brumæ
Quæ candore niues superant, & odoribus auras
Pallentis violæ, Thasios virtute racemos.
At cui te referam terræ, pulcherrime florũ?
An sinus Aemoniæ placet, & Peneia Tempe?
An sinus Assyriæ placet, & Neptunia Tempe?
Quæ circumfusus liquido pede lambit Orontes.
Sed neque Tyrrheni Zephyros, & gramina
Thusci,
Fæcundosq; sinus Calabrum, non Hyria rura,
Non Lacedæmonij fastidis prata Tarenti.
Pumilus excelsus, sed inerti robore lilî.

Non

Non ſuſtentat onus; quare imum illabitur aruum. (imum,
Candor ineſt frondi. Paulum ſtringuntur ad
Inque ſinum ſeſe laxant reſupina labella
Effigie calathi tenui pendentia filo.
Semina ſpes generis vento pandũtur, & imbri.
Nec tantùm bulbo ſeritur, ſed ſæpe recenti
Ipſe ſuâ lachrymâ, pingui contentus agello.
Eſt & progenies, & ſunt quoque fœnora lilî,
Non ingrata ſolo mandes ſi ſemina, terræ
Mox quinquageni penetrant in viſcera bulbi.
Nec ſimplex lilî facies. promittit agreſte
Teſqua ſolo ſterili: glauco confinia ponto
Littora: Pionij ſqualentia rura Cäyci.
Et domini plantata manu mãſueta dehiſcũt
Lilia, ſucciduus dùm prata virentia tondet
Foſſor, & ambuſtæ ſqualent in rupe myricæ.
Nec tantùm niueo veniunt natiua colore
Lilia, ſed frondes etiam fucata retingit
Purpura, pampinei craſſâ de fæce Lyæi.
„ Vſque adeo nihil eſt quod non ſolertia vincit
„ Agricolæ, & duri manus imperioſa coloni.
Hoc, Rapine tibi venerum pater, offero, & vna
Ictibus attritum variis depono bidentem.

Namque ego dum volito, celeri dum ſingula tango
Pollice, defeſſæ labuntur pectore muſæ.

CROCVS.

AD. L. SPONDANVM PRAEF. PRO RVPEL.

PHœbææ liuor quanuis immurmuret auri,
Quid facit ad Rhodopen borealis canna Britanni?
Attamẽ hunc pepulit Phœbus, nec ſola Britãnũ
Tẽtat triſtis hyẽs, ſed & alta Ceraunia, dixit,
Et canæ Rhodopen etiam texere pruinæ.
Tunc abiit liuor, viridique ſub ilice tutus
Vt crocus Aemathio, cecini, ſuſpirat Olympo.
Huc Spõdane veni. dũ te tuba tẽtat Homeri
Inclyta, montanæ ſtrepitum ne deſpice cannæ.
Commẽdant Cererẽ ſpicæ, vitemq́; racemi,
Gaudent purpureo lethæa papauera cocco,
Aurea fila Croco decori, protrita Lycæo
Dũ Phœbi pedibus redolent, nimboque recenti.
Non quâuis terrâ gaudet crocus. humida frondi
Noxia, ſalſa ſitum pariet, ſabuloſa virentem
Enecat, & campo ſpicæ tenuantur aprico.
Pingue croco melius dulci, quod rarior imber
Proluit, & ſudi faculis areſcit Olympi.

Quale nemus Ciliciũ viridis sub frõte Coryci,
Et Pelusiaco tellus habitata colono,
Et Lycij colles, vicinaque rura Peloro.
Radicis bulbo seritur crocus, humida quãdo
Bruma madet, spirãtq́ leues noua frigora cauri
Tempore non alio viret, & sua fila legenti
Præbet, & hyberna melius siccatur in vmbra.
Floret at autumno, florique incumbit odoro
Virgula, grata coco, pingui dilecta culinæ,
Grata Caledoniæ populis, qui lintea tingunt
Alba croco, formamq́ notant mantilibus auri.
Sed nunc Phœbus abit, postremaq́ fercula portat
Thestylis; attritas, pueri, deponite mergas.

HYACINTHVS.

AD. F. BALDVINVM. SENAT.

LAtonî lachrymas, & pictâ fronde rubentẽ
Aiacis florem, flauique comas Hyacinthi,
Dicite Threiciæ Rhodopeio pectine musæ.
Tuque adeo cuius viridem prope Santonis vndam
Carminibus rabiẽ ponit mare, murmura vẽti,
Et cantu moti veniunt ad littora Thunni,
Balduine, illecebræ diuûm, diuine poëta,

Huc ades, & tenuem pelle in vada cærula
lembum. *(rini*
Tecum ego, conantē prohibet ni parca, Qui-
Primus Bistonias inducam fontibus vmbras.
Prima Cyrenæi repetam miracula, nec me
Terrebunt veteri Phœbo pugnantia Vidæ,
Nec Bisantini modulamina docta Marulli.
Postquàm rore nouo tepidum ver humida
lambit
Pabula, & hybernâ Piscem despexit in vndâ
Dux Aries, viridi feruet sub cespite sanguis
Mollis Amyclei, Tyrioq; nitentior ostro
Suaui Tænarios tingit ferrugine campos.
Sed quâ te referam formâ puer? annè pluēti
Nectara conueniam Danao? campestria cepe
Diuite qui numero te prodidit, anne peritis
Vatibus Ausoniæ? qui te canentia dicunt
Lilia; ni niueæ pugnaret purpura formæ.
Hæreo. sed Danaum mendax genus; ipse
reponam
Quæ vidi, dubiæ noceat ne fabula plantæ.
Non procul à pelago qua docta Valētia tollit
Mœnia, & immites doctrinâ emollit Iberos,
Purpureum vidi florem, radice tenaci
Hærentem terræ, sed lento caule ferentem.

Narcissi faciem, distinctásq; ordine frondes
Protulit, & Tyrio caulem vestiuit amictu.
Quinetiam foliis, numeris inscripta notaui
Et Phœbi, & mutatorum suspiria regum.
Hunc Iber Oebalij florem mihi dixit, Ibero
Credidimus. Danai valeant pigmenta poëtæ.
Sed neque Latonî luctũ, neque naribus iras
Spirantem Zephyrum, furiasue Aiacis inulti
Clio prætereas; nec enim pateretur Apollo.
Argiuos inter, Pelopæaque mœnia quõdam,
Dum Spartè; & Phœbo gratæ colerentur Amyclæ,
Prodiit impubes Hyacinthus, vt ignea Phœbe
Fulget, & occiduæ vicinior Hesperus vndæ.
Hunc fortè errantem vidit per Tænarõ ipse
Infœlix Zephyrus. tenuem suspendit amictum
Fibula, ne tunicæ grati spiracula venti
Pellant, & tepidæ declinent frigora mammæ.
Arcus adest humero, spirãt in spicula fractæ
Auræ, vibrati refluunt in terga capilli.
Palluit infœlix Zephyrus, propiorq́; furenti
Ter gemuit, tenui terq́; ipsa madentia nimbo
Brachia concussit, gremio ter defluit imber,
Ter toto affectæ strident in tergore pennæ.
Quid faciat? nec enim verbis turbare timẽ- (tẽ

Audet, nec potis est nascenti occurrere morbo.
Ardet amore tamen, tepidamque per ilia cornũ
Haurit, & aduersi regnant sub pectore venti.
Interdum circum puerum spiramina fundit
Tenûia, nonnunquam flatu pulcherrima lambit
Labra leui; ah! quoties viridi prosternere cãpo
Nititur, & chlamydem pictis auertere limbis,
Lædere ni timeat. Sed iam Pyroenta sub vndas
Sol agit, & terræ paulatim interuenit vmbra,
Cùm puer in tectum graditur: comitatur euntẽ
Phœbus, & accenso totum metitur ocello.
Quid moror? vt vidit, cupiit, potiturque cupito.
Intereà Zephyrus luctu marcebat, & ignẽ
Nec celare olli, neque diuo occurrere tanto
Est potis. amentem spes perdita vexit in iras.
Nox erat, & tacito currebat cærula curru
Cynthia. conueniunt diui. certamina disci
Veloces ineunt, Eurotæ ad littus vterq;
Exuuias ponit, pinguique virentis oliuæ
Vngunt se. primus libratum pondus in auras
Emisit Titan: Zephyrus præuidit, & orbem
In caput Oebalij ferus impulit. ilicet ictus
Diriguit puer, & de sanguine nascitur herba.

Illa tamen lappâ, tribuloq; euicta iacebat
Cratibus ignota, & duro neglecta colono,
Aiax iudiciis quando contemptus Achiuûm,
Et Laertiades Vulcania rettulit arma,
Sanguine restituit. lateri læuo hæserat ensis
Hectoris (vt perhibent) inimici munus amici.
At nimis in pecudes sæuitum, dixit, & iras
Perdidimus fatui; norit modo Troicus ensis
Cuius virtutem Danai temsere. per herbam
Labitur exanimis. surgit de sanguine planta.
Et quanuis veteres tribuunt sibi nomen Amyclæ
Floris, & Ionio vicina Laconia ponto,
Attamen eximiam profert niue tecta Pyrene,
Et ripa Eridani, taurino vbi cornua vultu
Tollit, & in vitreum secum trahit arbuta pontum.
Hoc profagineo tinxit gens Celtica cocco
Vellera, cùm nec adhuc Getuli purpura Ponti
Nota, nec in Tyrio rubuerũt marmore conchæ.
Sed quid ego incassum pario tibi nomen, ita Alno
Ornantur palmæ, calamo flauente cupressi.

PAPAVER.

AD. CLARISS. VIRVM P. IVVENEM.

Vitis Echioniæ turgentem in palmite gẽmam,
Ac epota apibus redolentis nectara thymbræ
Vnica Romuleæ Maro dat vis ignea cannæ.
Nos Boreæ fœtus, & terræ temta Britannæ
Eluuies, gradimur lentè, tenuiq́; labello
Hellespontiaci veneramur rura Priapi.
At quoniã IVVENI *patuit Patareus Apollo,*
Et palla, & pecten, puroq́; volubilis auro
Fibula, & æterno fragrantes rore capilli;
Ipse fores feriit nostras pede pulcher Apollo
Ad IVVENIS *nomen. reuirenti Delia lauro*
Annuit, & niuei cecinere ad sidera cygni.
Sed quibus articulis tecum, quo vimine nectam
Fœdus amicitiæ? studio ne iacter inani.
Nam neque marrubium, & croceæ velamen acanthæ,
Nec rutæ radii, nec olentis brachia thymbræ
Te digna: aut sterili fœcundior intybus aruo.
Ergo tibi serimus tanto cereale papauer,
Securi agricolæ; seu te medicantia tangant
Semina; deciduæ seu frondis gratia, nulli
Inferior, tristem si non spiraret odorem.
Principio varia est naturá papaueris. horto

Aut fluit irriguo : aut glebâ lætatur inerti.
Sponte suâ venit hoc, flauisq; accrescit aristis:
Aut pingit luteo deserta noualia cocco.
Illud at agricolæ, ac hortensia suscitat arma,
Et cratem arbuteam, & dentati robora rastri.
Ignauo quoties inculta papauera campo
Rusticus eripiens medicinæ seuit ad vsum,
Præpinguemq; fimum, & fontanum induxerat imbrem;
In terram toties agnato pondere ceruix
Fœta fluit, matremq; iterùm illabitur aruum.
Huic compacta calyx, pinguique virentia succo
Tegmina, & aspersi tenui candore capilli.
Vnam nec seruant cirrata papauera formã,
Sed variæ species. olli color igneus. olli
Candidus. Assyrias imitãtur plurima conchas.
Olli deciduum folium, sed fronde tenaci
Hoc viret, & tenui sudans se diluit vndâ.
Sunt quorũ siliquæ rictus imitantur apertos
Repentis colubri. veteres dixere papauer
Cornutum. quãdo præeunt noua cornua frondẽ.
Hoc tantùm, Ioniæ si fas fidisse poëtis,
A radice fluit, grauiterq; euellitur aruo.
Cætera discusso nascuntur semine, Taurus
Cùm redit, & clausum cornu recludit Olympũ.

Est quoque desertis, sine lege, quod errat in aruis,
Et tenui siliquâ, & ruffâ, sed caule tenaci,
Quam dixere Rheam. viciato accõmoda lumbo
Radix, & duro vino contrita lieni.
Vtque nihil lateat, neque desint iura colono.
Tempore quo linum sterilesq; seruntur auenæ
Atque fabæ, & miliũ, non tunc cereale papauer
Spargere dedecori. forsan cùm vere rubenti
Liuida Lucanos pingunt violaria campos.
Vt far cõmittunt sulcis cùm septimus imber
Defluit, vt seritur gelido siligo Nouembre; vt
Bruma croco potior, sic primo vere papauer
Obruitur. magno potis vt turgescere fœtu.
At sunt qui stipulã subiectâ exurere flammâ,
Vel sarmenta iubent, & ibi siluestre papauer
Inserere, vt glebâ sensim mitescat amicâ.
Sed pæne vnius perfeci pensa diei,
Inuitantq; leues epota papauera somnos.

CALENDVLA.

AD. NOBL. IVVENEM I. CASTAVEVM.

AN te prætercam, perodora calendula? Phœbi
Duriciem, temtamque fidem, infœlicis amatæ

Indiciũ Clytiæ. non; te quoque carminis imber
Irroret noſtri, & muſæ leuis ambiat aura.
Nec modò te puro Clemẽtia diua argẽto, &
Vatum Palladiæ certamina clara Tholoſæ
Ornent; ſed tenui ſuperent ſua iura Britanno.
Ergo vbi Thymbræum violatæ pellicis arſit
Angor Achemeniæ, & celeres prouexit in iras
Nympha maris Clytiè gelidâ ſub rupe ſedebat
Orba toro, fletuque ferum permouit Olympum.
Sed non Latonæ durum prolem. aruit ergo
Infœlix Clytiè, fletuq; enaſcitur herba.
Subflauus color eſt olli, frons mollior, intùs
Semẽ ſubluteum, & numeroſum, caule tenello,
Caule breui, viridique caput flos tollit in herbâ.
Gratus odor frondi, radici immitis, agello
Quolibet exſurgit, nec glebam temnit inertẽ.
Quin inimicam hyemem raro faſtidit, & ar-
tem
Non amat agricolæ, ac hortenſia reſpuit arma.
Illum ſolarem veteres dixere Latini,
Et ſoliſſequium Graio cognomine, Phœbo
Quod ſimul exoritur, ſimul & ſubducitur illi.
Eſt quoque Romanis edicta Calendula,
quando
Quolibet exoritur mẽſe, & queiſcũque calẽdis.

Est autumnalem violam qui censet, at olli
Parua fides, vati ac olitori credite vestro.
Et sunt qui Caltham, sunt qui dixere leonis
Esse pedem, vana ora pater sed ridet Apollo.
Nec vis exigua est olli, discedite diri
Scorpius, & coluber, fugite hanc. latet error in herba.
Verrucas curat. sed cur ego plurima? surgũt
Auribus haud nostræ, moneo, sed naribus herbæ.

PETILIVS.

NEc te prætere am Danais intacte Petili:
Seu tibi perpetuum Romana Petilia nomen:
Seu Lucana dedit: seu decolor India, Ganges
Quà fluit, & fuluo Canuchæ iuga proluit auro.
Vere licet reliqui serpãt per gramina flores:
Aut æstate noua, vario pinguntur amictu;
Attamen autumno reicit dum Pampinus vuã,
Et matura nitet summis vindemia saxis;
Nobilis Herculei delectat forma Petili.
Sentibus Idæis, & acutæ gratus acanthæ
Flosculus, vt circùm melius vepreta resurgat:
Aut sub candiduli dura radice ligustri.

Naſcitur intorto folio, totumque cacumen
Flectit in humentem caulem, nec tela diei
Reſpicit, at ſudi facułis areſcit Olympi.
Olli gratus odor, nitor aureus, humida frōdi
Virtus. caule tenax, nullius temtor agelli.
Semen habet luteum cuius vi naſcitur, vllo
Tempore ne Herculei moriatur forma Petili.

NARDVS.

Ilicis, & platani lento mî melle madentes
Cur mittis frondes? & pingue perēnis oliuæ? AD P.C. DANTONETVM.
Fraxinus vt tereti ſupremas diuidit auras
Vertice, vt emergunt nube Idæi cypariſſi,
Iupiter! ignoti vulgo commenta poetæ.
An tibi dem vt violas & olentia ſerta viciſſim?
Perfundamque lubens Syriæ ſpiramine nardi?
Conuenio. quid enim comiti nō mittet Alexis?
Tecū, pars animæ, poſt mille pericula tādem
Santonis inſignem ſpoliis intrauimus vndam.
Quid nō pertulimus ſimul? acri oppleta veneno
Poma foris, frumenta domi, eſurientibus eſcā
Agricolæ renuunt, viles ſitientibus vndas.
Quinetiam acceſſum cilio prohibebat herili

Rusticus, innocuis tormenta minatus, & enses.
Tantus amor vitæ, tanta contagio curæ.
Nos maciem, diramque famem vnà vicimus, atque
Triuimus ingratam filicem sub cespite fundi
Diuitis, occiderent cùm alij, cùm credita sulco
Semina reppeterent, nec spe fruerentur inani.
Et nos militiam simul, & pia signa sequuti
Egimus excubias, nec inertem sensimus hostẽ.
At quid pauperiem memorem? plebemque potentem? &
Exitiale suis genus, & crudele Tholosæ? (mẽ?
Quidue viæ memorẽ casus? quid vulnera? ful-
Vasconis insidias? quid littora curua Garũnæ,
Euersamque ratem, deiectaque lintea ponto?
Hæc quanuis edura, tamen ferre omnia mallem
Versificatoris quàm carmen, olentia triti
Lẽmata grãmatici: vel inania dicta Sophistæ.
Sed nardum aduenio, quem vel tibi Celticus
Educet (ignaro licèt hic saliũca colono) (imber
Aut pulcher Ganges: aut limo fertilis Indus:
Aut rores Syriæ: aut Ligurum caput Apẽninus.
Magnus honor nardi, frutici sapor asper, odo-
Radice, & Rhodiũ propius spirante cyperũ. (ro
Olli spica breuis, frons parua, cacumina spargit

In circumfusas, si sol comburit, aristas.
Et nardum Meroe profert, virosaque Põtus
Ingentem spicis, & curtâ caule comantem,
Sed qui virus olet. montano hic gratior hirco.
Commẽdat nardum ruffus color, acrior estu
Gustus, & attrito virtus inimica palato.
Purum deprêndit leuitas; si pondere gummi,
Si stibio, aut spuma argenti corrupit auarus.
Celtica nobilior reliquis. euellitur ipsâ
Cũ radice solo, & nemoris siccatur ad vmbrã,
Abluiturq́; mero, chartaque inuoluitur alba.
Ingenti vaenit pretio, neque vilior auro.
Hae regum curae. Si quem delectat agrestis
Baccharin agricolae dicunt, è cespite fundi
Diuitis accipiat, nec odorae parcat aristae.
Hic montes ornat; carnosâ fronde, colore
Candidulo, flore insigni, spicâque frequenti;
Aspicum idcirco Celtae dixere coloni;
Montibus hic coquitur meliùs: nam gaudet aprico;
Translato decedit honor, dum rusticus hortis
Inserit, & teretis perstringit cuspide mergae.
Sed non cedit odor; purâ decoctus in vndâ
Eluit hic homines, elotaque condit odore.
Ergo Caledoniis edicta lauanda Britannis,

Quos iuuat arentem muliebri incōdere mūdo.
Sed satis vnguento nardi maduere capilli;
Dū vacat Idææ in venerē propellite thymbræ.

THYMBRA.

AD. C. V. PATRICIVM SCHARPIVM.

ERgo Caledoniæ primi perfudimus arua
Narcisso, & Syriæ suaui spiramine nardi,
Et modò fœniculi radios, modò pinximus ostrū
Pallentis violæ, niueæ nunc Iridis ignes,
Et sub candidulo liuentia poma ligustro,
Vt te Pieridū, decor inclyte, maxime Scharpi,
Prætercam, agricolæ vel inutilis vua putanti:
Aut seges assiduo marris ingrata colono.
Te duce, si primùm Parnassi cornua vidi,
Ac Aganippæo perfudi labra liquore,
Non tantùm voces,non triti carmen amici,
Nec tenuem florem, nec olentis brachia Thymbræ, at
Accipito hāc animā, meque intra pectora cōde.
Intereà euehimur,Rhodopeique lintea vētis
Tendimus,& tepidæ canimus primordia thymbræ.
Dum Danai imperiū fortes paterētur Achiui,
Beleidesque forent, latéque erraret in Argo

Fortis Amymonè, lauri ſub fronde latentem
Proſpexit Satyrum, & pellem meditata ferinã
Capreolæ, inſontem perſtrinxit arũdine Diuũ.
Protinus exiliit Satyrus, nymphamque timentem
Increpat, & cliuo fugientẽ apprehendit iniquo.
Extemplo in venerem defluxit, vimque puellæ
Nunc inferre parat, tremit hæc, rubet, atque furenti
Proxima, ſetoſum deſæuit in horrida mentum.
Nunc nymphas nemorum Dryades, nunc Pana vocabat,
Neptunumque ſenẽ, vitreæ qui præſidet vndæ.
Audiit vndipotens ſolus, ſæuumque tridentem
Extulit, at riſu Satyrus defugit acuto.
Ex hoc congreſſu, & feruentis ſemine diui
Extulit herba caput Satyreia. calentior illâ
Nulla viret, veneriſq; magis propellit in ignẽ.
Illam dum Danai vexarent Pergama bello,
Graiaque Thymbræũ premerent tentoria cãpũ,
Dixerunt veteri mutato nomine Thymbram.
Quinetiam Titan Amphryſi ad flumina, (quãdo
Admeti regis magno ſuccenſus amore
Pauit equos, ſummis ſuſpẽdens nectara culmis,
Tranſtulit Iliaco ſatureiæ ſemina campo.

Ad ripam Amphryſi, & fœcundam præbuit herbam.
Hinc laſciuit equus, viridâtique hinnulus aruo
Subſiliit petulans, & ab vbere bina pependit
Agna ouis, & binæ ſaliunt ſub matre capellæ.
Quare nec thymbræ nomen Thymbræus Apollo,
Nec floris tenuẽ diuus deſpexit honorẽ.
Quin hæc fœcundo traducta repullulat aruo
Nobilior, latâq; comâ, frontemq; priorem
Ponit, & agricolæ ſtudio miteſcit amico.
Sed neque ſi lubeat glebam faſtidit inertem
Thymbra, nec ignauo torpentia rura colono.
Hanc quoq; cuniculũ veteres dixere Latini,
Origanon Danai, at multis ſatureia, quando
In venerem pellit, morientemq; excitat ignẽ.
Sed neque Cuniculum, memini, commendat olentem
Tantum ſuauis odor, vel amænæ gratia formæ;
Sed ſimul & virtus, in condimenta retundit
Dum cocus, & modico cõtritum decoquit igni.
Quin variæ ſpecies ſatureiæ, fronde rubẽti
Curuo caule micans, pingui caput exerit aruo;
Quæque manu tãtum Veneris propellit in ignẽ
Tacta leui, turpique mouet prurigine lumbos.
Vos diuûm genus, & liquidi leuis ardor Olympi

Aonij vates, fugite hanc. latet error in herba.
Est quoq; quæ nigrâ pictam plũbagine frõdẽ
Pandit ad effigiem palmæ manus, igneus olli
Humor, & è tenui liquentes cortice guttæ.
Sed non hæ species spirãtis propria Thymbræ
Nomina habẽt omneis. tereti sed caule virentẽ
Quæ frõdẽ quatit, & redolẽtia nectara culmo,
Hanc per colliculos, hanc si per rura virentem
Attica libat apis, distentaque crura reportat
Cuniculâ, moneo, nec tecta tenacia tristis
Perdet hyems apium, nec inanes nectare cellas
Auferet Actæi manus indignata coloni.
Quapropter circũ bene culta alueâria surgũt,
Non tantum virides casſeæ, pictique hyacinthi,
Illimes & quæ potant violaria fontes,
Sed simul & salices, & olẽtis brachia Thymbræ
Et tiliæ pingues, & flaua calendula, quæque
Mollis in aprico calamintha repullulat aruo.
Sed satis arbuteæ crates, sat robora rastri
Tractata, insertæ digitis his crescite thymbræ.

LINVM.

AD MARIAM TIRAQVELLAM.

QVin & Pierio percurram pectine lini
Cæruleã segetẽm; nec inerti pollice tandẽ

Sutilis Actææ texetur tela Mineruæ.

Nulli tacta cano. numerosi carmen Horati:
Seu testudineæ spirent tibi Pindaron auræ:
Huc Tiraquella veni, & mecum caput infer
Olympo.

Te nisi terreret pinguis censura popelli,
Non Telesilla tibi, Thuriæ non mella Theano,
Non tibi Thebanæ certaret canna Corinnæ.

Antè Ceres quondã veteri connupta Lyæo
Quàm terras flauâ steriles ditârat aristâ,
Nubebant veteres Acheloia pocula glandi,
Succincti pecudum villis, & pelle ferinâ.
Tum neque forficulâ niueum detondit ouile
Cannifer opilio; nec adhuc pecus eluit vndâ,
Nec tinxit Tyrio medicatum vellus aheno:
Nulli Parma fuit, nec Apulia nota, nec vlli
Velleribus clari patuerunt tesca Britanni.

Prima manu supcrûm casus meditata Mi-
nerua
Tondet ouem, lanamque legens ignobile lauit
Vellus aquâ, & tenui telas contexuit auro.

Lydia nõ proles tulit hãc, Idmonis Arachne,
Par animis Diuæ, superûm si è gente fuisset,
Et virtute prior. sed quid certemus Olympo?
Ergo vbi Mæoniæ fuluo iuga proluit auro

Pactolus, tergetque sinum nitido Maeandro;
Telluris gremium sabulosæ fodit Arachne,
Secreuitq́; malas stirpes, vilemque saburram,
Perpetuumque terit sulcum; tum vere rubente
Iniecit lini semen, texitque rutello.
Nec mora, quamprimum contraxit brachia cancer
Improbus, Herculeo subridens dente leoni,
Ad tenuem caulem flos desuper eminet, olli
Cæruleus, cæliue color, nec notus odore.
Succrescit semen flori, penitusq́; rotundo
Inclusum capiti, tanquam muliebria capsis
Ornamenta iacent, vẽtos dispernit & imbres.
Tunc euellit humo proles Idmonis, & auræ
Exposuit tepidæ; vertit, distinxit, in ipsos
Fasciculos legit, stricto subducta bidente
Semina spem generis telis reseranda diei
Supposuit, virgasq́; putri dimersit in vndâ.
Macerat, & boreæ exponit, contundit olẽtem,
Etruditque leuem stuppam; tenuissima tantùm
Corticula exsuperat flauentis forma capilli.
Hanc stipat, collidit, aquat, depectit, acutis
Hamis impingit, nec inerti pollice fractum
Pellit acus; demùm nitidam componit, in orbẽ
Torquet. Mæonio debentur cætera fuso.

Durum iter ingredior, generi ſuccurrite
veſtro
Pierides. cæſæ proles ſucceſsit Arachnæ
Cloſter, & hic tereti primus qui lintea fuſo
Torſerat, & ſudibus induxit penſa colurnis.
Inde colus. ſed ne fuſum leuitate ſubiret,
Verticulam puro, & libram ſuper-induit auro.
Nec filum veniſſe ſatis, cancellat, acernæ
Inducitque cruci, girgillo, aut præpete rhombo
Conglomerat, Platiæ debentur cætera Cææ.
Cæa prior telas: vel Lydia vexit Arachne,
Percurritq́ leui radio, & permiſcuit auro.
Fila manu facili partita eſt lintea primum
In pinnas tenues, ſtamen dixere vetuſti,
Induxit radiis reliquum, quod trama perito
Artifici, multis ſubtegmen, ſtamine lignum
Textile tum demum veſtit, ſimiliſq́ furenti
Ima mouet pedibus, dum pectine ludit acerno.
Nec ſatis: impingit radio nunc fulmen, &
ipſam
Ilicis intonſæ glandem, rimoſaque conchæ
Tergora, nunc nitidi deſignat tela diei.
Effert cancellis demùm, ac in littore tentam
Albat, & ad ſolem formoſo proluit imbre. (ui.
Hinc mappæ, tenueſq́ plagæ, caua carbaſa, ner-

Hâc pelagum gracili nautæ metimur auenâ.
Sed nos Herculeum pensum confecimus, atque
Nunc tempus ruptâ radium suspendere tramâ.

IRIS.

PAllentem violam, & viridi canentia cãpo AD ILERMVM BODIVM FRAT.
Lilia qui cecini, sanguenque Aiacis inulti,
Tyrrhenãque rosam; teneræ nunc Iridis ignes
Exequar, & rutilo tingam dumeta rubore.
Hanc Ilerme tibi (ô mi anime) ô mî vera parentis
Effigies voueo, triti non munus amici,
Sed fraterni animi flammam. sic inclytus olim
Pollux Ioniâ donauit Castora cestâ.
Ast vnde egrediar? postquam Peneia, lauro
Mutata est viridi, & doluit Thymbræus Apollo
Euolat Aemoniâ, & liquidũ peruenit Olympũ.
Insigni pharetris, atque aurea tela ferenti
Assurgunt diui, tentum mater pia neruum
Laxat, & ex humeris pharetram dimittit, & arcum
Pendet ab aurato, libant dum nectara, clauo.
Accũbunt faciles, Thymbræo pocula primũ
Aurea dat pater, & diuûm ridente coronâ

Edocuit Titan Penei prope flumina Daphne
Vt pia diriguit, fletus narrauit, & ignem
Pallentis Clytiæ; duri post iura tyranni
Damnat Achemeniæ, nec amaræ temperat iræ.
Appulit intereà Iunonis nuncia, proles
Iris Thaumantis magni, pennasq́ madentes
Ponit, & eloquij suspendit nectare Diuos.
Nuper, ait, viridis colerem dum tesqua Britanni,
Et nymphas nemorũ, Pedemõtis ad ostia paruæ,
Ingens oppositæ culmen mirabar Elysæ.
Interea Phœbus Dryadum statione relicta,
Atque Monæ templis (vatum Mona nobile quondam
Delicium) vitreæ nudum se credidit vndæ.
Vt quondam lyricen Delphino insedit Arion,
Spiranti dociles dum pectine frangeret vndas.
Haud aliter Panopi Titan insedit, & armos
Extulit, & plectro marmur permouit eburneo.
Oceani saliunt nymphæ, scopulosaque cete,
Et cantu moti findunt vada cærula thunni.
Proteus ipse pater, Siculi Galatæa profundi
Gloria: Cymodoce, viridi cum matre Palæmõ,
Et Triton pandâ spirauit in æquora conchâ.
Vt primùm ex alto vidit Patareus Apollo

Cælesti facie spaciantem in littore nympham,
Exilit in siccum, & frontem mentitus eunti
Cōgreditur; tua sed leuiter nos robora, Cynthi,
Temsimus, aurato velantes tempora nimbo.
Ex luctâ tamen, & pathicæ sudore puellæ
Flosculus exoritur, gladij fulgentis imago:
Fronde micans niueâ; clarum nos Irida nomen
Indidimus, tantæ monumenta perēnia pugnæ.
Quinetiam obtuitu quoties me tentat acuto
Ipse pater Titan, densumque auertere nimbū
Nititur, ac vdo radios impingit Olympo,
Me toties Iris vario distincta colore
Vda refert, funditque leues à fronte capillos.
Nunc suffecta rosam dulci ferrugine frondem:
Inde refert violæ: Tyrio modo tingitur ostro:
Nunc Babyloniaci fulget candore ligustri.
Scilicet aerio Phœbum sic pellimus arcu,
Et variâ instantem formâ denuncio nimbum.
Hactenus edocuit Thaumantias. ilicet ictus
Erubuit sol, & veteres defleuit amores.
Quin & adhuc retinet Phœbææ nomina flāmæ
Iris, & agricolæ Tiberino dicta legenti
Flammula. si Danaus tamen hæc commenta Britanni
Temnat, & Ausonius dānet mea carmina Tibris,

O diuæ. ô Dryades. æquæuis numina siluis
Grata, sacerdoti faciles succurrite veſtro.
Flora faue, & Veneris puer ignifer, Iris, & Io, &
Pulcher Amyclæi turgens in cespite sanguis.
At si Panchæis quisquam liquentia siluis
Vnguenta, & mollis miretur thura Sabæi,
Iridis effossæ radicem pandat olentem
Non cuiuis Phœbo, sed verni temporis vmbræ,
In partesque terat. pandis tum condere capsis
Audeat, & charo suauem componere mundo.
Hanc do, Ilerme, tibi, Pedemontis ad oſtia
Nascentem patriis ignoscas irida siluis. (ne tu

FOENICVLVS.

AD DELPHIN.

ILlum fœniculi radiũ, tua munera, Delphi,
Infœlix olitor reddit tibi Marcus, & iſtam
O vtinam faculam quâ nunc ego torreor vnà.
Missa prius fateor gracili condita cumino
Liba, crocus, porri, violæ decor, & melilotos,
Sorbaque candidulo foliis inclusa caniſtro,
Sed nihil ad radium; datur hic mihi pollice nẽ-
Præsentique tuo. perij, nec inania fingo. (pe,
Ah me quid perdis? cur dono accessit iniquo

Basiolum? si sis holitoris filia, Delphi,
Ipse ego Romani forsan non infimus horti
Consitor; indecoris nec ero tibi; tenuia tantum
Tecta subi, mea vita subi, mea puppa subito.
Deformes mihi te propter Polymiris, Ianthe,
Callia diues apum, & reliquis immitior Anna,
Sordet amãs Helene, & leuior fastidit Orexis.
Candidior Delphi es speciosi fronde ligustri,
Suauior vnguentis Arabum, lasciuior hœdo,
Sed crudele nimis tibi cor, mea sordida tãtum
Tecta veni, mea vita veni, mea puppa venito.
Anne fidem metuis nostram? memorantur amicæ
Complures nobis, sed non numerantur amatæ.
Vna fuit quondam puro nunc sydus Olympo
Gella mihi, cuius cilio parebat herili
Hæc mens, quin & adhuc cineres veneratur & vrnam.
Hæc vbi concessit fatis, & fraude perempta
Occubuit, vitæ languentem suximus auram
Inuiti, iratæ nec erat confidere dextræ.
Nulla fuit quæ mî placuit; tu sola potenti
Fœniculo superas fatum. mea funera cerno.
Mitto colum, fusosq́; tibi, digitalia puro
Multifora argẽto, & tenui de stamine rallam.

Mitto lupos, serrasq́ꝫ patri, paruamq́ꝫ bidentẽ,
Et falcem lunatam, & iuncta bipalia rastro.
Sarcula quinetiam, & marram, planumque rutellum *(bræ.*
Scirpiculam, dolobellã, atque ora incurua tere-
Durus nãque pater, nec qui nisi munere multo
Flectitur, & nimium tecum mihi pugnat eũti.
Ac olli quamuis hortensia mittimus arua
Omnia quæ licuit, mecum tua munera merga,
Delphi, tamen superest: nam sunt tua munera mergæ.
At pro fœniculo modulatum do tibi carmẽ
Pectine Threicio, & naturã pingimus herbæ.
Surgit in arenti sulco, cum mollior imber
Depluit, & vernæ recreãt noua gramina guttæ.
Et seritur quandoque manu, prædulcia sperat
Semina quãdo olitor, naturam vt tẽperet arte.
Principio dum humile est Marathron, dum fronde tenellâ
Serpit humi, nec adhuc caulẽ surrexit in altũ.
Estur aceto acri, pinguique recentis oliuæ.
Et lactuca simul: vel amaris intyba fibris,
Et maluæ molles, & crispæ succus acanthæ.
Est quoq̃ue fœniculus riguo mãsuetior horto,
Ac vrbana minus species, quæ cespite prati

Exoriens, pecori multùm conferret habendo.
Hortẽſes inter formas minor optima, frõde
Quæ tenui, quæ caule leui, ſed ſemine pacto.
Hunc Graij dixere meon; ſed maior in auras
Exit caule graui, pingui fruticeſcit in aruo
Arboris in morẽ, nec inanes diſcutit vmbras.
Delphi, nihil ſupereſt poſt miſſum carmen, & vnà
Hanc animam, hanc animam: vel tu me interfice: vel tu
Tecta veni hæc, mea vita veni, mea puppa venito.

HASTA AD IACOBVM SEXTVM REGEM.

TYrrheni inuentum, formidatũque potẽti
Bellonæ truncũ, ementitaq; tela Mineruæ
Exſequimur, muſæ Pater inclyte, montibus Hæmi
Qui duxtî quercus, & ſaxa ſonantia ſiluis,
Huc ades; & facilem ſpirà in mea lintea ventũ.
In tenui nil tenuê, herois nomina ſexti
Dum cano; dũ tantæ certant mea carmina dextræ.
Sed neque Carpathio numerãtur in æquore fluctus,
Nec vẽto motæ Libyæ ſitientis arenæ,

Ipse nec Aonidum ductor tua prælia, Sexte,
Cynthius enumeret: seu Scotica calcibus arua
Concutis æripedum: munitaue mænia bello
Tundis, vt oppositi certant sub sidere nimbi.
Tempus erat circum Pactoli littora, quãdo
Exussit Titan terras, & candida Phœbe
Continuit rorem, tenerisq; inuidit aristis:
Tum neque balantum species, neque bucula campi
Depauit gramen, baccamue virentis oliuæ
Vernantem toto pueri videre Venafro.
Aruit exsanguis depasto in palmite Bacchus,
Nec seges exempto caput extulit aurea nimbo.
Tunc Atys magno Ionio, ripisq; Caistri
Præfuit, & Tmoli populis, pars inclyta quõdam
Sanguinis Herculei, turbamque edoctus agrestẽ
Prædura pugnare fami, nec fidere rastris
Horruit, & populi lachrymas effudit amore.
Quinetiam olli Lydum Tyrrhenumque potentem
Ad ripas Hebri peperit Thrax Orithyia.
Lydus equum domitor, læti spes altera regni
Mæoniæ, & seris venerata nepotibus vmbra.
At Tyrrhenus auo propior, mentẽque sequutus
Amphitryoniadis, maculosæ tegmen Hyenæ

Vestiit, & multo præluxit amabilis auro.
Hunc Lyciæ sortes, & carminis author Apollo
Mæoniæ exsangui populo, plebique coactæ
Delegere ducem. peregrinas quærere terras,
Atque nouas sedes, fœcundique abdita regni
Augurium cecinit Diuûm, classemq; sub ipso
Mæandro, & magni molitur vertice Tmoli.
Extemplò cædunt siluas, tabulataque surgũt
Mœnia, compactæ medio stant marmore pini.
Iamque Aries dextrũ cirrato vellere cornu
Extulit, & tenui terræ sata compluit imbre,
Cum læti adueniunt socij, Tyrrhenus in altum
Tollitur: esculei strident in marmore remi.
Et tres ignotâ totos errauit in vndâ
Tyrrhenus soles, nec amatæ tubera terræ
Vlla videt, tantùm celeres vada cærula venti
Verrunt, & phocæ saliunt ad tergora cymbæ.
Quando ecce in somnis supra caput astitit ipse
Amphitryoniades, & tegmine notus herili
Hæc fatur. Cereale solum Tyrrhene per æquor
Qui quæris, comitesq; vehis per cerula tecum,
Quos ingrata fames, & amor tibi iungit edendi;
Tertia te Thuscis lux aurea sistet in oris.

Sed non ante famem pelles, & pinguia Thuscũ
Pabula percipies, quam magnâ clade tumentẽ
Sternes indigetèm, & durâ dominabere peltâ.
Sed neque te bifidum ferrum, neque diuitis Hermi
Tutabuntur opes, neque duræ tegmen Hyenæ,
(Hoc fatum indigetũ) annosæ sed robora siluæ
Fraxineæ findes, vel duræ semina corni,
Et lenta elicies hastilia, nullius antè
Commentũ, at magni posthac munimẽ Olympi.
Et dixisse satis, tremuit Tyrrhenus, & ormum
Impulit ardenti studio, ratis incita ventos
Dum rectà findit, liquida æquora lambit eũdo.
Est locus Italiæ quà pinguis Hetruria multo
Armento colles, atque æquora vestit aristis:
Hinc Ligures, illinc veteres habitare Latini
Consueuère patres, Latiũ rigat inclytus vnda
Tibris, Marna alios; medium tenuère beati
Thusci. frondosæ defendunt cætera siluæ.
Huc proram aduertunt. gelido Tyrrhenus ab alto,
Tyrrhenique comes Lacon, & pulcher Iattus
Descendũt læti, & mõtis iuga summa petebãt.
Ventum vbi sub culmen, Faunum venerantur agrestem,

Satur-

Saturnumque patrẽ Thusco qui præsidet aruo.
Hinc memor Alcidis, latitãtẽ in veste securim
Exerit, & crebro contendit verbere corno.
Ilicet illa cadit, & fraxinus insuper, ingens
Fraxinus, humentem tereti quæ diuidit aurã
Vertice, fraxineæ pinnatæ parcite frondi
Armenta, atque greges, frondentemque horreat vmbram
Stellio, & inuecto pauidum caput obruat aruo.
Sed non vlla bonis hastilibus aptior, olli
Et strinxisse parat frondes, & findere ferro.
Hinc valli teretes, & plurima pertica Phœbo
Linquitur vrenti, humorẽque vbi siccior aura
Ebiberat, solique rigent in corpore nerui,
Exæquat tereti ferro, ductatque fluentem.
Hinc capiti inducit mordaci cuspide ferrum
Hastilisq́; aufert nomen Tyrrhenus, & hastam
Nuncupat, & digitis libratã emittit in auras.
Salue Tyrrheno, sed non inuenta Mineruæ
Hasta virûm domitrix, veteris cantata Quirini
Gloria: siderei magnum munimen Olympi.
Te genus Oedipodis, deductaque semina Cadmo
Eteocles, Polynix, Thebæ sub mœnibus altis
Agnouêre trucem, veteris te nata Samornæ

Ad Tanais ripas, & Thermodoontis ad amnẽ
Gesserat, ambustâ non relluctante papillâ.
Marthesia, Hippolyte, Lampedo, Orithyia,.
Et leuis Antiope, pedibus contendere vento
Cui potis, & siccâ trãsmittere marmora plãtâ,
Te telo Europam domuit Symoentis ad vndã.
Laomedontææ quondam præconia Troiæ
Hastâ Pelidæ cessit pius Hector, & ingens
Pelides Paridi, Paridis pater ipse furenti
Pyrrho, sic demens Pyrrhum confodit Orestes.
Quis Diomedææ tacuit præconia corni?
Dardaniique dolos Aenææ? & volnera Diuũ?
Nonne quiris veteri sed nobis hasta Quirino
Indiderat nomen? Martisq; in cespite cornus
Iacta, diu victo creuit spectacula mundo.
Hastis quinetiam committunt prælia diui.
Nonne vides niueo cùm candet in æthere curru
Cynthia? & edixit nocturna silentia vesper?
Vt certant hastis Diui. stant agmine facto
Aduersæ cœli partes, & candida tendunt
Spicula, concurrunt adeò, furit asper in hostẽ
Impetus, & duræ rumpuntur in aere corni.
At fragor arentem terram quatit, ardua siluæ

Culmina, & afflictæ trepidant ſub marmore nymphæ.
Heu! malè tùm Cererem meſſor, tùm vinitor (vuas
Excoluit, tenues campum tenuere coloni.
Tunc libra excedit terras, & martia candent
Sidera, tunc crebræ teſtantur prælia palmæ.
Sed ſatis indultũ Phœbo, ſat maſcula cornus
Cãtata, & Phrygiæ pulcherrima fraxinus Idæ.
At quia te nemo cornum regit inclyte Sexte
Certiùs, & trepido vim teli tentat in hoſte,
Hoc ego de Latiis ſpolium tibi pendeo. ne tu
Nata Caledoniis temnas haſtilia ſiluis.

ENSIS.

HEM tibi fulmineũ munus protendimus enſem;
Donatus facili qui rude victor abis.
Adſpice Memnonio totus nitet aureus igne,
Accenditq́ nouas lucida gemma faces.
Vt capulum viridis totum commendat Iaſpis,
Fulgeat vt ſummo Caſſiopea polo.
Conſtringũt rutilum cirrata manubria ferrũ,
Inuitant fortes aurea fila manus.
Culter vt incurui tenuis munitur aratri

Cuſpis, honoratæ debita militiæ.
Iã nitet vt croceos cùm ſol vomit aureus ignes.
Iam viret in mediis vt ſolet Iris aquis.
Et leuis, exeſo vix certat pondere ligno:
Et rigidum potis eſt flectere nulla manus.
Hunc iracundæ tunc inuenere Lacenæ,
Tyndaridem Phrygiæ cùm rapuere rates:
Aut cudit Getico Vulcani dextera Marti,
Cùm micuit primo Lemnia terra rogo.
Inter quadrupedes quod cæde cruenta leæna,
Quod Iouis aerias armiger inter aues:
Fraxinus in ſiluis, & quod Delphinus in vndâ,
Quodque inter dulces impiger Indus aquas:
Inter tela viris erit id Mauortius enſis.
Seu placet in campo: ſeu placet eſſe foro.
Huic Iouis Hyrcæi decedat fulmen, & ipſa
Cedat Apollineâ miſſa ſagitta manu.
Illum dum Bodius clauo tibi pendet ab aureo,
Immemor officij qui nequit eſſe tui.

CASSIS.

QVi modo fulmineum calamo tibi cudimus enſem,
Dùm ferij Latiæ fila canora lyræ:

Caßida Romuleo rurſum tibi pingimus auro:
Porrige deuotam flaua Minerua manum.
Parcite ſi populo non delibanda notaui
Carmina, quæ curæ nobiliora meæ.
Huîc decor ignauo quanuis placuiſſe poëtæ
Et laudem curâ conciliare leui.
Non ego tàm tenui tendo mea lintea vento:
Sim licet in dubiis nauita temtus aquis.
Nec tamen Ioniûm ſequor inferiora perenni:
Nec caret exemplo noſtra Thalia ſuo.
Caßida qui primùm curuatæ munera lamnæ
Excudit, doctâ quàm fuit ille manu!
Funditur æs liquidum, curuæque volubile teſtæ
Effigiem ſumit, quæ modo maſſa fuit.
Inque ſinum vacuum fluit igneus humor, & ipſum
Proh dolor! infœlix exprimit ære caput.
Qualis inauratæ Troiæ fuit illa Mineruæ
Effigies, Phrygias quæ pia texit opes.
Aut qualem Andromache, magno ſi credis Homero,
Impoſuit capiti fœmina caſta viri.
Et ferro in galeâ viuum ſpirantia fingunt
Corpora, Niliacis nobiliora notis.
Hîc facies Satyri nymphæque cadentis imago,

Hîc Cererem liquidæ proluit imber aquæ:
Hîc catuli viridem cingunt indagine ſaltum:
Hîc ſalit à tepido præda petulca toro,
Fortè cadit, nec fortè cadit, per ſaxa, per vndas
Carpit iter, charam non reditura domum:
Flauaque Mæonio caſsis perfunditur auro,
Et nitet vt medio Cynthius orbe ſuo.
Subſiliunt tenues chalybeâ vertice criſtæ.
Fluctuat aduerſo candida penna Noto.
Inclyta ſi clypeos Athamantis dextera Calchi
Excudit claram dum docet arte manum,
Si tuba Tyrrheni decor eſt, & amabilis haſta,
Sique Peletronio fræna dabuntur equûm.
Caſsida non fortem minor inueniſſe Lacenam
Gloria. ſed reliquis hâc prior illa fuit.
Hanc tibi cum rutilo, Corneli, appendimus enſe
Dum pudet officij non meminiſſe tui.

Ὀρφέα καλλιόπης ἐρικυδέος ἱερὸν υἱὸν
Ὑμνέομεν μοῦσαι. εἴ μοι ποτὲ πατρὸς ἑοῖο
Ἢ κιθάρη ἔφαν' ἢ φαρέτρη, καὶ καμπύλα τόξα.
Κλῦθί μοι ὦ πολύϋμνε πάτερ, καὶ ὦ φέγγος ἀοιδῶν
Ὀρφεῦ, παμβασιλεῦ, ἱερεῦ πᾶν παγκιθαριστά
Ἡδυπαθή, λιγυρὴν καὶ μου φόρμιγγα τίταινε.
Τὴν γάρ σοι κιθάρην ἔβρεσν περὶ δινήεντα
Πρῶτος ἔδωκε πατὴρ, καὶ ἀοιδοῦ θυμὸν ἀπόλλων.
Μήτε γονεὺς σ' ἑρμῆς πότε γείνατο, μήτε τι μήτηρ
Θρηϊκίων τιμὴ πολυύμνια, μήτε γονεῖα
Ἥδε βροτῶν ἐγένετ', ὥσπερ φωνοῦσιν ἀοιδοί.
Ἀλλὰ πατὴρ φοῖβος θεὸς ὤν, σοῦ πότνια μήτηρ
Καλλιόπη. καὶ σεῖο γονεῖς ναίουσιν ὄλυμπον.
Σὺ δὲ θεοὺς λείπων, καὶ δ' οὐρανὸν ἱμερόεντα,
Θνητοὺς ἀνθρώπους ἔφιλες, καὶ θεῖον ὅμιλον
Εὐπλοκάμων νυμφῶν, παρὰ πετρήεντα κάρηνα,
Καὶ ποτὶ τὴν ῥοδόπην, περὶ μακρὰ κεραυνία τείνων
Τὴν κιθάρην, θέλγεις ποταμοὺς, πῶντε γενέθλας.
Καὶ τότε δ' εὐρυδίκη, ἡ δ' εὔφρονα θυμὸν ἔχουσα,
Καὶ, δέμας ἀθανάτοις ἴκελον, πηγὰς ποταμοῖο
Τοῦ ἕβρου ἔναε, καὶ παρθένος ἰοχέαιρα
Μάρνατο τοῖς τε λύκοις μιαροῖς, χαροποῖς τε λέουσι.
Τὴν δ' ἔγαμες, ὀρφεῦ, μελιηδέα, καλὸν ἀείδων
Τὸν γάμον, θάλαμον, καὶ τήνα γαμήλιον αὐτός.
Αὐτὰρ ἔρωτ' ἱερὸν, καὶ τὸν πόθον ἱμερόεντα
Δεινὸς ἀεισαῖος μιαρῶς λύεν, ὡς ἴδεν ὄψιν
Εὐρυδίκης, βλεφαρόντε, καὶ ὄμματα βλήματ' ἔρωτος.

Τὴν διὰ τὰς κορυφὰς, τὰ καὶ ὄρεα μακρὰ διώκων,
Καὶ διὰ τὰς πυκνὰς ποιὰς, ἕρποντος ὀδόντι
Περσεφόνης ἐνὶ δώματ' ἄγεις, καὶ τάρταρον εὐρὺν.
Σὺ δὲ πάτερ γεραρήν τε γυνὴν, καὶ εὐειδέα νύμφαν
Εὐρυδίκην τιτεῖς δακρύων, γαίητε θαλάσσῃ
Καὶ περὶ τισιφόνην, περὶ καὶ στυγὸς ἱερὸν ὕδωρ,
Εὐμενίδας μέλγων ἔπεσιν, καὶ πηκτίδι πυκνῇ.
» Ἀλλὰ μάτην. στυγεροῦ κρονίδαο γὰρ οὐδὲν ἀνέλθει
» Ἐκ θαλάμων. αὕτη φύσεως ἄτλητος ἀνάγκη.
Ὡς ἴδεν ἀφνειόστε νόμους, καὶ ἀδίδακτον ἄνακτα
Ἠλυσπῆς, νυμφῶν, πάσάς τε γυναικὸς ἄμοιρος
Θυμὸν ἄγει γεραρὸν, φεύγων φάος ἠελίοιο
Καὶ ἐλάται μοῦναι, ἄρα καὶ δρύες ὑψικάρηνοι
Καὶ κορυφαὶ ῥοδόπης, καὶ μοῦνα κεραύνια νευρὰς
Πηκτίδος ἤκουσαν, τὰ καὶ ἑρπετὰ καὶ πετεινά.
Αὐτὰρ ὅταν πρῶτος πλεύσας ἐπὶ οἴνοπα πόντον
Θέσσαλος αἰσονίδης, εἰς κολχίδα προσέβαλεν ἀργώ.
Μειλιχίοις μύθοις λίπε δ' ἄντρον ἐπήρατον ἥρως,
Ἀνδράσιν ἡμιθέοις, καὶ τοῖς βασιλεῦσιν ἑταῖρος.
Καὶ τότε δὴ πόντοιο πόνους, καὶ βάρβαρα πολλὰ
Φῦλ' ἔδαμες κιθάρῃ, καὶ τὰς παγασαιΐδας ἀκτὰς
Κύματα παρθενίου πελάγους, ῥηγμῖνατ' ἀναύρου.
Χαῖρε πάτερ δ' ὕμνων, ἱμερτόν τ' ἄνθος ἀοιδῶν
Ἠλυσπῆ ἱερεῦ, φοίβου τέκος, ἄλλος ἀπόλλων
Παμβασιλεῦ, γενεὴν ἐπείκελος ἀθανάτοισιν.
Χαῖρε καὶ ἐλθὲ μάκαρ. βοδιοῖο τά δ' ἔιπεα δέξαι.

IN M. ALEXANDRVM BODIVM

Plurimorum Ἐπιγράμματα.

Cornelij Vari Mediolanensis.

Tempora dum numero, & musæ momenta Latinæ
Prima do Care tibi.
Proxima dicantur genialis tota Catulli,
Optima Virgilij.
Inq́; Caledoniis debentur prima poëtæ
Tempora Sydonio.
Proxima, ni pigeat, paulò maiora canenti
Do Buchanane tibi.
Tertia solerti, rumpantur vt ilia vulgo, &
Optima do Bodio.
Nec Maro Romuleos tantùm, quantùm ille Britannos,
Ingenio superat.

ΜΑΤΘΑΙΟΥ ΚΗΡΑΤΟΥ.

Ὥσπερ ἐπὶ μακάρων νήσων, καὶ θυμὸν Ὁμήρου,
Οὐ νιφετὸς χειμών τε ῥέει καὶ χέτλιος ὄμβρος,
Ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγὺ πνείοντες ἀῆται,
Οὕτως ἐν βοδίου ἔπεσι, κατὰ θυμὸν ἐμοῖο,
Οὐ χαλεπὸν συγχεόν τι ῥέει, πυρὸς οὔτ' ἂρ ἄμοιρον,

Ἀλλ᾽ αἰεὶ καθαρεῖο νοῦ, καὶ ἀγλώοεις ἀνδρός
Τέκμαρ ἔχεις. αἰεί τε γένος καὶ θυμὸν ὀλύμπου.
Χαίροιτ᾽ αἱ μακάραι νῆσοι, καὶ δώματ᾽ ἀνάκτων.
Ἡ βοδιοῦ μήτηρ ἡ γαῖα τρισόλβια σκωτῶν.

ΠΕΤΡΟΥ ΦΛΟΡΙΟΥ.

Τῇ τέχνῃ Βοδιὸν πᾶυροι νίκασαν ἀοιδοὶ,
Τῇ φύσει μηδέ τις ἦ,
Τὸν τέκε καλλιόπη, Φοῖβος φύε, τοῦδε καὶ τέχνην
Θεῖος ἔχει τῆς δε φύσιν.

ΔΑΝΤΟΝΗΤΟΥ.

Ἡ πόλις εὐδαίμων ἥ σ᾽ ἔτρεφεν, ὄλβια μήτηρ
Ἥ σ᾽ ἔτεκ᾽, ἐν δ᾽ ᾧ ζῇς ὄλβιος ἐστι χρόνος.
χαῖρ᾽ ὦ ῥωμαίων ὀρφεῦ, μέγα φέγγος ἀοιδῶν,
Φρὴν τε κυρίναις δέξια καλλιμάχου.

PRÆMISSORVM ELENCHVS.

EPISTOLARVM.

HYMNORVM.



M. ALEXANDRI BODII
LITERVLARVM PRIMA curia.

M. A. B. Cornelio Varo. S.P. D.



MICITIAS doctorũ hominum appetere, retinere, tueri pulchrum; nec erit vt aliter ſentiam; ambire, rogare, per nuncios adrepere, turpe negare nõ audeo. Creduntur nunc epiſtolæ: debentur; acceditque deuenditæ gratiæ precium, locatæ, chartæ merces. Id M. Cicero ne meminit quidem olim, licet ad plures dedit literas: non Plato: non Demoſthenes: non Iulianus: non veteres: non maiores noſtri hunc fucum, ſine foco, hæc commenta, ſine mẽte, tenues, & ingratæ pepererũt auræ: gra-

uiore vento proterentur. Quid eſt ergo quod ego vel trium-viratum venerer, vt tu iubes, vel duumuiros? nimirum me laudent: ne me Senatu moueant: ne proſcriptorum numerer numero; ſed quotus ille eſt, qui infamiam diluit viri integræ famæ teſtimonio? quotus ille eſt, qui pauperiem pepulit locupleti teſte? cui verò fides integra, cui fama, huic teſtimonio non opus; qui famã pepulit infamiâ, pergat ad principis beneficium, & rem perditam, rê reſtituat. De me verò dicam candidè: mihi non opus peregrino teſtimonio; nemo me in iudicium vocauit publicum, neque noui quid ſit fama laborare; nullam quoque perdidi; nullam quæro, ne dicam ambio. Item qui ſint tres hi, vel duo viri, fateor vltrò me non noſſe: ſed viri eſſe debent, cùm ſint tam pauci. Cenſent, ais, ſtatuũt, proſcribunt, Senatores, equites. Ego (mi Vare) ne id faciant, & ne viri ſint, nihil veto; præſertim, vt hodie, perpaucorum. vnũ tamen ego caput deprecor ſacrum illud, & canum Ciceronem. Triumuiri, per deos tutelarés, perpendite: videte: parcite; ne-

que per vos, neque per alios. Nerones si referre velitis pergite, illud enim licèt durum perpeti poterit. Sed Octauij ne sitis, ipsi cauete : interest enim triumuiratus, & dignitatis vestræ ab Octauio cauere. Sed vt ad famam redeam, non illam nouerunt vnquam, qui apud alios venantur. Virtuti defuturam comitem laudem ne puta; ad hanc eas rectâ, te tanquam vmbra sequetur fama; virtutem nactus es, simul adest fama virtutis vmbra; sed præconio peregrino virtutem non paries, ergo nec illius vmbram. Lugduni.

M. A. B. Cornelio Varo S. P. D.

QVæris quid ego de poëse : quid de poëtis sentiam; sed inprimis de iis, qui hoc tempore, qui patrum nostrorum memoriâ fuerunt; dein mihi quid in animo, quoue heroes mei. quid tibi rescribã planè non video; Poësin tamen censeo purioris animi spiritum, & benè temperati cerebri fluxum igneum, pæneque diuinum. Et paucos poëtas olim fuisse reor, hodie

penè neminem. Item Græcos præiisse alios censeo, qui ad nos peruenerunt; licèt de Hebræis quid dicam certi non habeo, parum ex his translatum tamen, quod ad Latini cœli aërem, ne dicam ad ignem peruenit. Sunt autem poëtæ, quos ego capio, sunt quos video, sunt quos miror; plures puto, qui puriorem animum, neque captent, neque capiant. Capere mihi videor Nicandrum, Oppianum, Dionysium, Æschylum Lycophronem, Aratum, Plautum, Propertium, Persium, Iuuenalem, Lucretium, Claudianum. Capi enim potest facilè, quicquid labore poterit expugnari. Videre mihi videor Pindarum, Apolloniũ, Euripidem, Sophoclem, Callimachum, Bionem, Anacreontem, Flaccum quod ad lyram, cætera enim se capi sinunt, Nasonem sæpe, nam capitur quoque, Catullũ sæpe, sed hic Latini laborant, vel mea mens, quæ non videt. Miror planè (quid enim opus est mihi tribuam, quod nolunt dij?) Theocritum, Orpheum, Musæum, Homerum, Maronem. Hos ego non capio, nisi mihi ereptus, non video nisi lumine recluso,

recluſo, animoque in mentem penetrante; quæ quando fiunt cum periculo, fieri non volo. De reliquis quid dicam? illud vnicum. legi, non lego; quin nihil veto ne alij ſecus ſentiant., ſed hic ego iuuenis hæreo: ſi quid purius dederint alij, tranſiturus. Ad rogati tui potiorem partem venio. qui hoc tempore poëtæ, qui patrum noſtrorum memoriâ fuerunt. Nunc eſſe poſſunt poëtæ plurimi, ſed ego pene neminem noui; tranſlationes vidi quorundam hominum, ſed quales ſunt, nihil ego dico, quales eſſe poſſunt, tu tecum cogita. Centones dant alij, ſed ſine centonum lege, è Virgilio, è Flacco, è Naſone, ſed quid hæc ad te? qui poëtam in verſu videre vis, non verſum in poëta. Fuerunt certè inter maiores noſtros nonnulli viri, & ſi tempora tuliſſent magni viri; eſt in Bembo plurimum aërium, fuiſſet igneum, ſi voluiſſet; & ille Baptiſta, qui ingētem ſpiritum turpi inertiâ mulctauit. Fracaſtorius ſe virum præbuit; eſt in hoc aëris plurimum, eſt & ignis. Fœlix ſi quātitatem non in ſyllabis modo, ſed & in literis, & in tono obſeruaſſet; rudior enim.

grauiora certè vidit, ſed & iſtud tenue notare potuit in ſuo Marone; quicquid id eſt, non vnius ille tamen ſæculi princeps. Item Pontanus poëta fuit; ſed quicunque Anſelmus ille nepos, totus aër fuit, illi tamẽ flamma rarior, Latinæ eloquentiæ cultor, & venerum obſeruator. E Galliâ fœlix, & prudens poëta M. Hoſpital. Vidit ille hoc in cælo primus quid ferre potuit, & muſarum onus non temerè ſuſceptum, geſſit conſtanter, poſuitque cum dignitate, tutus: ſuauis: grauis: concinnus: cautus, & Latinus poëta. Fuit quoque qui linguam coluit Gallicam P. Rõſardus; de hoc quid dicam? addo nouum ſidus, ſolumque refero horum in numerum, quos ego miror miſer. Tranſlationis populari meo facilè defertur palma: Epigrammatis quoque ſi paterentur Itali adiicerem dignitatem, & velint, nolint cothurnum ſibi, hircumque vendicabit. hic labor. hinc laudem. Petis demùm quid mihi in animo. reſpondeo tibi nihil planè; meæ quoniam ſunt actæ gratis fabulæ, neque in ſcenam poſthac prodire decretum mihi. Denique quid mi-

hi præterea?nam primum hac in arte ſpem feſelli meam, qui mos eſt adoleſcentium; hanc iterum (vt mihi videor) reſtitui. Poſtremo ſuperaui, nec enim ipſe à me iſtos hymnos expectaui. Vbi ergo Heroes? dicis. Proh! Heroes meos maior quàm qui peperit, perdidit, exuſſit furor; quinquennis, eaque continua ſpiritus periit contentio. Id procurauit ægritudo mihi meditando parta, & valetudo deſperata. luxerunt alij decretum, ego rem confectam doleo. nunquam mihi poſthac parentes, nũquam propinqui, nunquam liberi dolori eritis, ſiue ſic inſanio poëta: ſiue mihi meæ moleſtiæ ſolus ſim conſcius. Quin Poëſin in æternum valere iubeo, & iam demùm cum mihi videor aliquid poſſe, petis quam ob rem, ſed te ad ingratum ſæculum remitto, & parum eruditum: addo quod mihi poſſe ſatis velle nimis.

M. A. B. M. Cerato S. P. D.

QVantùm ego video mihi Tiernum exeũti Florius augur fuit, neque pin-

gi melius noster præfectus equitum, neque fingi potuit, quàm ille ore expressit, leuem, impudentem, iracundum, impotentem. Vix duo castra fecimus. Tyronem rudem, & immerentem cōfodit. hæcne Græcorum vrbanitas? anne præ isto barbari erimus? Hercule me non modo quam de gente habui olim cultâ, decepit opinio, sed & oratio, & forma viri nobilior; secus vt me iste conscriberet ferre nè potui? nūc illud pulchrè didici φεύγειν ἀεὶ δεῖ δεσπότας θυμουμένους, nobis quoque imperat impotentius. sed quidni imperet? modo non feriat impius. Quod dupondij milites obire solent ad equum adscripti obimus. Acrius certè, & grauiore cum periculo sæpè cum villicis confliximus, quàm in muniti loci oppugnatione licuit anteà. quid illud parit? præfecti imprudentia: ducis temeritas: improborum hominum quos sibi adsciuit licentia. Illius iniquissimo imperio vitæ in discrimen sæpe veni, & quod cedit infœlicius vtrique nostrum, iam glande suræ radio perstricto minus bellè equito. Nosti hanc quanti commoti facimus aleam, sed

vbi me colligo, ad nutum græculi imprudentis oppetere: vbi neque ex loco, neque ex causâ, neque ex imperio morienti naſcetur gloria quàm inutilis dementia. Item rei fœdę turpique imperio cùm nulla ineſt dignitas, tum grauius periculum, & labor adeſſe ſolet, quam prænobili. at ſi cum delectu conſultóque oppetere velimus, quid non facimus? quid non audemus? Pari pœnâ, parique periculo rem minimam, & maximam exequimur de interitu ſecuri. Cęterùm hoſtium ingens exercitus, Heluetios diceres deſertis ſedibus iterùm in Santonum fines penetrare, carrorum tanta, iumentorumque copia, ſed nobis noſter non deeſt Cæſar. Nunc Rhenum me quod non tranſiui pœnitet, & me prętenuem potatorem doleo: alioqui vultu & confidentiâ explorator. Comitem noſtrum Paulum ſua perdidit temeritas: liberius enim prędæ inhiantem hoſtes occuparunt. Ignauum ego vidi prius, nunc temerarium, ſed quid ab ignauiâ differt temeritas? vtrúmque quidē animi intemperies, cordis impotentia, fortes hercule

minus mouentur. Amicum denuò mihi paraui beneficio meo Valerium quendam Ligurem, temperatum hercule militem, neque indoctum, meo quoque sunt gratæ cerebro subtiles hæ, & tenues Ligurum aurę, viro nimirum in montibus nato, & à pingui abhorrenti. Sunt quoque demortui comites nobis, Maro : Cęsar : Heliodorus tenui charactere Gręco, sed comites tantum. Ego ne id feram ? sed heu ! me miserum ! qui Mineruam cum Marte : Martem cum Mineruâ toties mutaui. Fręnos hercule huic animo iniiciam & ad te breui recurram. E castris ad Ligerim.

M. A. B. P. Pontio S. P. D.

VT superiore tuo refectus sum nuncio, quo percepi te incolumem, & tuos, sic me proximus pęnè confecit, qui tuę me monuit molestię. Rem video (mi Paule) ęgritudinem hanc tibi tuâ partam curâ, tua diligentiâ, tuâ pertinaciâ, tuo ambitu: duro pares enim domino, elatę menti, eruditę, non tamen edoctę. Quid cogitas ? quò

tendis? quid conaris? doctrinę tuę, & ingenij monumentum edes perenne, & ęternam tibi affingis famam. Papę! graues hę nugę: dura deliria; non adhuc obmutescentem obseruas Apollinem, neque reditum Mineruę? redit enim à nobis, vt prius, & nos hęredi fidecommittit parciori. Quid opus est nepotes cogites, & genus tuum? tu si viues hominis vitam, deserta Phœbi castra videbis, & grauiorum militum neglecta nomina, quam quę sunt vtriusque nostrum. Quin ne rei tantę memoria fortè apud vos supererit, vbi euersę domus publicę; neglecta similium contubernia; cõflatum; perditum, decoctum Mineruę patrimonium: Ad Tibrim, ad Sequanam, ad Rhodanum non ita, quorum incolis familiarior hęc Dea; illic enim licet fusę Mineruę copię, nonnunquam cęsę, interdum lue tempore contractâ sint tentatę, castra tamen superant, in quę se recipiant reliquię, & reficiant, séque spe fœlicioris aleę solentur; sed apud vos cum copię sub pellibus semper esse nequeant, ipsoque torpeant tempore, quo se recipiant posthac

non habent. Dira prędico, vera tamen, apud vos breui erit nullus qui se in Mineruę exercitum conscribi sinet, quid enim faceret, vbi pœna prope, procul pręmia? quin procul adeò, vt nec spe contingi possint. Proh vos dementes, improborum decepit dementia, qui cęci licet, videre tamen se putabant. At per naturam iuueni videre non licet, quę videt senex, neque momento comprehendi poterant, quę sanxêrunt tempora: proinde negligi non debebant. Non dicam plura, hęc quoque ad te scribo, ne te torqueat ęternę famę vana expectatio, cùm nihil ne diuturnum quidem pręter Deum. Mediolani.

M. A. Bodius P. Florio S. P. D.

QVid tibi in mentem venit non video, cur ad me scriberes quę nisi diffidenti grata esse nequeunt; me proteret plebis temeritas, tollétque popularis licentia? deliria. Ego in publicum à quo tempore me liberauit mea innocentia non prodeo; dein hinc abeo, & cedam loco, cedam tempori,

quod non facerem profecto, plebis si imperium perpeti possem; at illud mihi dedit natura plebem vt temnam, & cum simulare possem plurima, illud vnicum me prodit; è plebe dico quicunque cum vulgo sentit, seque dat populo, ea suspicit, miratur, quæ huic belluæ fausta videntur. nimirum, opes auaricia partas: honores venales: culta scelere contubernia; vsque adeo ne cuipiam esse, animos isti opinẽtur, cui opes non contigerunt. Ego verò hæc rideo, & quoties impotẽtem diuitem, Magistratum adulterino honore tumidum video, peto ab animo meo, si huic seruo cedat si istos possit circũscribere, dèin quàm istud fieri possit facilè, & horum vecordiã miror simul. Pares hercule mihi videntur animi, qui rerum tumẽt copiâ, & qui inopiâ remittuntur; quod sua vi, opes neque demant animum, neque addant. Reip. interesse fateor, plurimi sint è plebe, vt enim rectori mulorum cedit commodius, suos si spiritus non sentiant muli, neque magnis animis efferẽtur, sic ciuitati, pauci magno si sint animo; fœlices tamen, qui isthæc vi-

dent & rident ſimul. Cæterum cum plebeculæ libidini ſeruire nequeam: vel Principi vt paream: vel vt paucis curabo. Tholoſæ.

M. A. B. Patricio Scharpio S. P. D.

REdditæ ſunt mihi ab agnatis, & à te literæ; ſed tuæ elegantes, tuæ candidæ, tuæ meæ; neque mihi tempero, quin iterum tibi ſim oneri, equorum more qui apud Xenophontem excitantur cloſmo, popyſmo mitigantur. Gratularis mihi tanquam virtute ornato, tu quidem candidè, ſed ego mihi quam tribuam planè non video. ſi me tibi probaui, præter ſpem, præter opinionem profeci. Suades in patriam reditum, idemque monent agnati; ſed quà ſpe? quo commodo? quin illud vnicum me macerat, quod præ valetudine in Galliis perdiu latere, in patriâ præ re tenui pauxillim patere non poſſum. Habes, ais, Regem doctorum hominum amantem, illud Deo, vt animam debeo, qui ſi non eſſet, neque tu tutò domi doceres, neque ego

prudenter in patriam reditum ornarem. Habes ais regni proceres cognatos, at ego ad illud Menedemi: ah! habui Chreme: nunc habeam, nec ne, incertum eſt, ô domus antiqua. Verũ-enimuerò quid ad me voces hæ? cognatus, agnatus, propinquus, ex his amicum noui penè neminem. ſed illud quoque meminerint nullum gentilitium videre prius, paucos videbunt poſthac mei ſimiles, in quod conferant beneficium. Regem adeam mones Perſarũ more, faciam quicquid potero, licet cum pituita quotidie committor, fortiter tamen & more meo qui vitam ſine laude non magnopere expetendam cenſeo. Vale tuorum ornamentum. Rupellæ.

M. A. Bodius M. T. S. P. D.

ETſi quæ tua ſit virtus, ſæpe per populares ad me perlatum prius, fidemque fecerit dubitanti, tuum Græcum, tuum Latinum carmen, hercule non protritum; Terentij tamen, Pindaríque veneres cùm heri docte, moderatéque attigiſſes, plus

ipſa potuiſti apud incredulum quam commendationes omnium. Perculit me certè rei nouitas, neque putaui prius Mineruam quid tuo ſexui, ptæter colum, fuſum, ſtamen, linteum dediſſe; virorum non galeã, & Ægidem modo, ſed & illud φρόνημα Theij eſſe proprium. nunc nos neque Corinnam Pindaro olim minorem, neque Sappho Alceo credimus. Mentem feriunt Sibyllæ, torquent Manto, Daphne, Tireſia, Caſſandra, Heliſſa, Lampuſa, & dormientem excitant noua nomina; ſi quæ fuit Theano, ſi quæ Mæro, ſi quæ Themis Euandri mater, ſi quæ Boco, ſi quæ Cleobule, ſi quæ Praxilla Sicyonia, ſi quæ Noſſis, cuius Epigrammata tamen mihi perlecta dubitandi tollunt cupidinem. Teleſillam, Hedylem, Elephántim, Philænin, perſonas volui, nõ poëtrias. Sulpitiam vix dedi Martiali, neque ὁμηρόκεντρα Eudociæ, quicquid vult Gyraldus dedi prius, multo minus Valeriæ Probæ. Pollæ vero quicquid datum viri Lucani eſſe credidi; Cornificiæ quicquid, fratris Cornificij: Elpidis quoque hymnos quoties nos legimus prius, toties ſubiit

Boëtij mariti candor, & doctrina, denique fœminarum hæc monumenta, nugamenta putaui, ſiue mauis aurium pabula. Nunc ego quò veni non video, deerítque parũ quin Phemenoi Phœbi filiæ heroïcum verſum tribuam, dein Poëſin. Pereo Iupiter! æſtuo, furo, quoties virtutes tuo ornatu video, quoties & Muſas. Pallas ne fœmina? fœminane Themis? & Clio, & Calliope? tuone ſexui debebunt poëtę omnia? debetur ne ius noſtrum? Nunquam ego credam virorum eo veniſſe inclementiam, vos vt de veteri poſſeſſione venerum, & eloquentię deiicerent, nunquam eo veniſſe dementiam, vt quę nobis debentur laudum nomina inderent vobis. Hic hęreo, ſed vt euadam putaui prius veſtrum ſexum (cum parùm meruiſſet) noſtrâ tamen comitate, gratiâ, beneficio ornatum. At nunc Vſucapionis noſtrum titulum ſuſpicor, dubiúſque pendeo, an pręceſſit bona fides! ſiue malles; cùm nobiſcum olim de rei ſummâ certaretis, acie deuictas, & iure gentium nobis ancillas eſſe factas: proinde in mancipio, in pote-

ſtate noſtri ſexus eſſe : ſiue viri ſimus : ſiue parentes : ſiue domini : & non à publicis officiis remotas modo, ſed interdicta vobis veterum ſororum, muſarum nimirum & venerum contubernia, ne de re veſtrâ, déque veteri dignitate cogitetis. Vides quæ olim fœminæ fuerunt, quo dolo, quâue dementiâ populi cēſura tuo te prohibet patrimonio ; tuo dico, non enim centum ſeueri grammatici, totidémque garruli Sophiſtæ ad ànimæ tuę facem accederent, hanc ſi ſemel accenderes. Illi enim lutulento, turbidóque alueo, tempeſtate & imbribus aucto, id eſt mentis intemperie rapiuntur dum corrodunt, congerunt putida : tu è fonte perenni promanante riuo, nitido & tranquillo, profluεres dum promeres cæleſtia. Quid enim iſtud eloquium acu pictum peregrina promittit minus ? quid iſta mentis temperies? tenues hæ venæ ? & cęruleę ? rectique corporis forma nobilior ? vbi nihil pingue: nihil ſterile : nihil terrenum, vbi purus aër pectore : purę flammę cerebro. Item ſi te mouet vicinia, quid ille Pictonum Rochię

ſiue rupis Heliconię Rupellulę ? ſed inprimis mater, cuius odę Tireſię Sibyllę, vel renatę Corinnę mihi videntur. Fœlix huic impetus, ſpiritus puri, ſublimis furor, doctrina temperata, aër nitidus, concentus leuior, ſed inprimis inopinata inuenta, & ignea, qnid dicam ? Per Apollinem ſi oda certaſſet Vandonicus Pindarus, Antagoniſta non defuit Pictonum Corinna; furit enim hęc Roſcia & vere vates reddit ab adytu. Sed quid pluribus ? non tibi, Tiraquella, peculium anguſtius, adde diuum genus. Natura fauit, fortuna non defuit, interpellauit plebeculę temeritas: aut velis, & ſurge: aut nolis & iace. Fontenaię.

M. A. B. P. C. Danthoneto S.P.D.

HAs ad Lucinium legi epiſtolas, neque è meo ſpiritu, neque è tuo: ſed vt Fabricio morem gererem: ſi vixit, vt ſcribit grauitate vitę vir fuit magnus, ſcriptione fortè minor. Leue eſt, & neſcio cuius vicio hoc tempore tritum, affectata, ſeuera, cōciſa, arguta, ſupercilioſa ſcribere: facere

nihil minus. Sed quid ego de re protrita? da corporis temperamentum, authores tibi designabo, miratur quis istum? terram sapit, & cœlum sonat, cuius quoque dicendi genus malè cum Plinio contulit Erasmus: Romam spirat Plinius, hic Cordubam, illiúsque cognatum Lucanum lego libenter. Video quo peruentum; non semper nitet Phœbus, dumque nitet accendit simul fuit vetus Academia: fuit Lyceum; sed non diu fuit. Ciceronis & Augusti ętas: sed ętas tantum. fuisse quoque apud nos videmus viros: sed fuisse. Ite nũc Erasmum quęrite, Fracastorium, Bembũ, Angelum, Picum, Petrarchum, Ronsardũ, acta fortè hęc fabula, vtque homines, bruta regimus, qui nos non norunt. Sic nos puriores regunt spiritus quos nos vix nouimus, dant auferunt. Noui te mirari meũ palatum, & perquirere libenter, qui me delectant, qui apud me priores, dicam cãdidè, vbi iure ciuili remoto spiritus hos proluo, ad liberales illos & nobiles venio, quorum principes Xenophon, Herodotus, Demosthenes, Lucianus, Heliodorus, Iulia

Iulianus, Hippocrates, Plato ſæpe Ariſtoteleş, Philoſtratus, Theocritus, Orphæus, Muſæus, Homerus, Anacreon, Pindarus, Euripides, Ariſtophanes, Item Cęſar, Cicero, Terentius, Naro, ſępe Naſo, ſępe Flaccus, & qui omni ætate iſtis ſimiles fuerunt, vti Ronſardus, Taſſus, Arioſtus, Petrarchus. Pibracus Hoſpitalius Belleacus. Bodinus. Si iſtorum ſpiritus tecum poſſis concoquere, & meum Palatum habes. odi quicquid pingue, quicquid tritum, quicquid durum, durum dico quod facilius dici potuit. odi quicquid artem prius prodit, quam naturam; detecta enim ars mihi vecordia, natura verò non arte tegi, ſed regî debet. Denique noui ego nobilem primo contuitu ſcriptorem, vt tu equos ſoles, qualis mihi vix erit Seneca. non veto tamen quin apud horſęculum ſit primus, nēpe apud ſuum, quod primo ceſſit: Valentię ad Rhodanum.

M. A. Bodius Patricio Scharpio
S. P. D.

QVas tu ad x. Cal. Iun. dediſti, mihi pridie. Non Iul. redditę ſunt literę.

Planè te mei non memorem modo, ſed etiam amantem video: quod ego non meo merito, non meę virtuti, ſed tuę prudẽtię, tuo candori tribui volo. Mei-ne deſiderio bonos quam minimùm tangi putem? me totum reficis, atque vtinam! iſtud meę probitatis, non tuę eloquentię foret ornamentum. teſtor fidem meam, quam ego lubens fefelli nunquam, nullum apud me ſtudium prius, quam bonis placere, lędere neminem. Prouidentes alij, diuites, cauti, ſolertes per me nominentur, nihil inuideo, me verò, meo ſi merito, bonum, & candidum dicant viri pij, vici. De ſpe noſtrâ quid ſcribam? tu iacentem erigis, reficis languentem, etſi iamdiu vidi, quam pulcherrimę huic deę fidem adhibere debeam. ἀνὴρ ἀτυχῶν σώζεται ταῖς ἐλπίσιν; ſed quod metuam quoque nõ video, quicquid enim negligent populares mei ſibi aſſeret Gallia. De verticis occupatione quod ſcribis, rê certè perficiam quicquid per ingenium tenue potero, verbis parùm ſpondeo tamẽ, licet ab abſente nihil poſſis ſtipulari. Decretum mihi Mineruę caſtra quandiu per

vitę vſuram licebit, ſequi; & probitate primùm, dein doctrina ingenium meum bonis probare, tibi verò imprimis, cui plus vni debeo, quàm reliquis, & qui omni doctrina: rerum vſu: pietate, eloquentia pręcedis. Vale. Fontenaię.

P. D. Tholoſ. M. A. Bodio S. D.

SÆpenumerò Bodi te literis meis monui, vt ad nos redires, ad minus faceres promiſſa; agam enim tecum ex ſtipulatu, licet ex certi cõdictione mallē. Quid? nonne hęc tua? ex Nymphis nulla mihi prior Pyrene. nulla mihi potior Garumnâ: nonne hęc tua? proh! ſi tam libera fuiſſes, quam vetus, docta, grata & nobilis ciuitas. nonne mihi licèt impurè ſtipulanti, ſi tandem libera fiat ciuitas ſuóque pareat principi reditum promittis Bodi, illud verbum tuum? promitto. ſpondeo; præſentes fuimus, aderant quoque qui te audierunt, neque nudum pactum vrgeo. Peris patriã, fateor, ſed forſitan minus illa te, nec enim mei dicti leuior fides, vt enim tuis ſatiſfa-

cies, qui nobis places? Nosti quantum nos popularium mores. Frustra à tuis exspectes, quia noster es, quid minus. Tua patria est Bodi, vbi tua mens, tuus animus, vbi tu amas, vbi tu amaris, quid petis prętęrea? Noui ego vt te tangat honesta, & legitima libertas, quò tendis vbi nihil tutum non seruienti? tu neque par huic negocio, nec illud tibi. Quare si dies promissi tui non venit, quia cessit tamen, saltē memineris te obligari. Tholosę.

M. A. Bodius P. D. Thol. S. P. D.

REdditę sunt mihi à te binę *literę*, *illę* Burdegalæ, proximę Fontenaíæ, illis per viatorem respondi publicum: istis per hunc meum amicum, quem tibi commendo. Redeam mones vnde vi deiectus sum, & ego me hercule tanti prætoris interdictum non agnosco modo, sed & Veneror, & colo; verum licet armata fuit illa vis, interdicto tamen simplici. vix rei parebunt. Agis mecum ex stipulatu, dicis, licèt tu omnium scias optime, ad impossibile nul-

lum obligari, & cum qualitates conditionem non admittant, vix tibi do ſub conditione fieri ſtipulationem poſſe. Quę verô mihi tribuis, & agnoſco, Iupiter! & probo: nec quę mihi prior, nec quę mihi potior: nec erit vt aliter ſentiam, re quoque probarem, ſi quid liberum eſſet. Patriam dicis pereo, ſed minus illa me, quid dicam? illud vnicum, ſagacem te, qui Tectoſagũ colis. Hem quo redactus ſum! quam dediciſſe oportuit, nunc didiciſſe volui. At hoc quid durius? vbi eadẽ non ętas, non mens. Quò tendis igitur? repetis, quid conaris? Te Circem ad Vliſſem relego, tecum finge pœnam, penuriam, neruum, gladium, metallum, arenam: patriã tamen. Adde ſunt adhuc domi tenues Dryadum vmbræ, ſunt adhuc Nymphæ nemorum, per illas non deerunt glandes, per has non frigidæ lymphę. Pan quoque Paſtorum Deus fortè me tenuem licet victimam offerentem arâ publicâ non proh ibebit. Nihil ais eſſe tutum non ſeruienti. Pape! in tritum illud pellis ἰδοὺ ῥόδος ἰδοὺ πήδημα: aut in illud, quo me vertam Quirites? & ô Tempora. accipe ta-

men, hunc morbum ἐπιδήμιον. Et primum alij malim, quam mihi; meis, quam alienis si quid necesse; sed in primis Pani meo. Imparem me dicis huic negocio (sed cum nihil notum inexperto) ad illud Bruti veniam, videbo. desit omen, mallem enim patris, vidi, vici, sed vt finem faciam, ego redeo, vt si quid secus redeam. Fontenaiæ.

M. A. Bodius P. Pontio S.P.D.

Valerij versus legi, & vt sensus est horum temporum eruditos, ornatos, selectos, sed qui poëtam referunt minimè. Vis dicam quod sentio, tandem criticorũ imprudentiâ omnis eloquentię vis periit, exaruit dicendi copia, versuum gracia prostituta iacet. Nulla nobilis ingenij demũ, sed ignobilis otij monumenta proferũtur. Diceres incenso foro Ciceronem, Maronẽ exiliisse, successisse Senecam, Statiũ, & declamitandi ineptias. Quis vno ingenij impetu tres simul versus efflabit æquali spiritu hoc tempore? sed quando secus Maro? Musęus, Homerus? quando secus Panum

& Hamadryadum poeta? Iam tandem profer verſum nobis, notabo dictionem tanquam dominam, è veteri fortè grammatico erutam, cuius gratiâ cætera aſſuuntur; & vos Romuli nepotes quicquid dicitis Itali nunquam hanc notam delebitis. plures enitēt virtutes veſtræ in Latinâ poëſe, ſed & dictionum gratiâ res aſtruitis ſæpe. Verumenimuerò vti delectum verborum, & copiam, poëtæ ſupellectilem agnouimus, ſic rei quoque ancillas, & poëticæ flammę alimentum. Primum inuentũ, dein flammam, impetum, mox delectum, poſtremo ſupellectilem, & diligentiam poëtę obſeruo. vt verò hæc artis particula naturam pręcedat, quis feret? Sed Itali iſtud erratum plurimâ virtute minuerunt, alij nullum modum faciunt. Imo qui ſe ſemotos à plebe putant eruditiores, iſtud quicquid eſt vitij virtutem arbitrantur. Quid porro memorem plurimorum demētiam, è Caro, Plauto, Ennio, Varrone, Nonio, ſi quę exoleta, antiquata, peregrina dictio, hanc promũt in verſu, non linguæ Latinę, ſed & rectæ mentis, & rerum obliti. Item

qui risum cohibebunt quoties simul,& pęne continuo spiritu, lembum lentrē liburnum carinam legimus. Sed in re grauius errant hoc modo, quoties enim vberior locus & feracior, veluti rerum descriptiones esse solent, sine delectu astruunt, cōgerūt, inculcant omnia illud vnum dum cogitāt, ne quid prætereant. Verùm quid istis moueor demens, cui commodius fortè foret mecum ridere, quam cum populo, me docere quam putidam plebem & literarum fæcem. Vale Biturigibus Auaricum.

M. A. Bodius Cornel. Varo S. P. D.

SIccine (scribis) Heluone deserto, Caios tantùm spiras, & sceuolas. Hem, tibi meam mentem. Heliconem ego tanquam fundum hæreditarium colui nunquam, sed rem veluti meam, quam & bona fide, & legitimo tempore vsucepi. cur vero aliter facerem? & hoc tempore, cum ex Helicone ne carduos quidē licêat sperare. Caios vero & Sceuolas,& quę ex Romani fori naufragio supersunt, tabulas semper ego co-

lui, & in oculis habui, & iam tandem veneror; hinc exilia, itinera, & diuturnę peregrinationes meę: Mea vero de hac arte cōmenta, quę tibi ostendit P. C. Danthonetus, noli putare mihi tanti fieri, huius vt fabulæ pręludia cēseam. Quemadmodum pictores solent, hac in rudi tabulâ, pyroque debitâ, penicilli periculum feci, nihil non meditatus, non ausurus. Sed vt liberè dicam, ius ciuile R. nullo grauiore morbo, quàm suâ mole laborauit vnquam, tanta scriptorum interpretumque copia; & quò quis ad scribendum fuit ineptior, eò hoc in studio plures effudit libros; arte verò qui concluderet, quæ dissecta leguntur inuentus est nemo, quicquid canit Cæsar, quicquid dedit Gregorius, quicquid alij pollicētur. Quin ex Romanorum legibus, de vniuerso iure statuere velle dementia, quæ temporum momenta, ne dicam quid perpetuum ferre nunquam poterant; nihil enim familiarius Romanis fuit, quam veteres leges nouis abrogare. Vbi leges Regię? xij. tabulis cessere. Vbi xij. tabulæ? Aebutia rogatione deletę. Vbi S. C. Præ-

torum edicta : reſponſa veterum ? conſtitutionibus principum fractæ diſſectę. Vbi verò horum decreta ? Iuſtiniani placitis ceſſerunt, & illius placita Impp. poſteri abrogarunt. Poſtremo in hoc Centone, quã multa leuia, quam abſurda, omniumque populorum decretis, & vſu diuturno antiquata? Dementes igitur mihi videntur qui ll. P. R. de iure vniuerſo ſtatuere nituntur. At ſi quis ingenio fretus magno, doctrinâ plurimâ, tolerantiâ incredibili Platonis conſilium ſequutus, ex omnium gentium decretis ſelegeret optima ; dein de vniuerſo iure arte ſtatueret (quod & nonnulli receperant ſe facturos) quid in rerum natura homini vtilius ? quid pulchrius licuit optare? Ad illud ante omnia conferret ius ciuile R. nec ęrit vt aliter ſentiam ; ſed & ius Gallorum ciuile, & Regium(quo nihil vnquam prudentius) Germanorum origines vti Salicæ leges, Ripuarię Francorum Saxonum, Theutonum, imperiales ſanctiones non parum conferrent. Quid dicam de Hiſpanorum, Anglorum : Scotorum iure ciuili, & de Turcarum illo quo tantũ pro-

tenditur imperium? Poſtremò ex veterum Aegyptiorum, Græcorúmque monumentis, Hebręorúmque pandectis Sanedrim ſelegi poſſunt optima,& in rem transferri. Item ſi qui ius illud attingere poſſent, quo Sophorum imperiũ à Tigri fluuio ad Caſpium mare floret,& Abyſſinorum inter vtrúmque tropicũ à mari rubro ad Aethiopicum. Quis denique dubitat quo Sarmatia & vtráque Scythia,Sericáque regio totáue Tartaria, ſeu magni Cham fines reguntur, non eſſe optimum? Illud quoque quo Moſcouię ducis magni à Tartaris ad Liuones, & Suecię fines regna muniũtur. quis, inquam, hæc credet ad iuris vniuerſi conſtitutionem minus cõferre poſſe quàm ius ciuile Ro. Sed ecquis ille tandem qui rẽ tantam auderet ſecùm ſerio cogitare, ne dicam polliceri? cui mens, pectus, nerui, opes,otium, gratia? ſed qua ſpe quoque, quo pręmio, quis ſe in horum laborũ vorticem dimitteret?Neſcio quid dicam,hanc tamen emittam vocem paulo confidẽtius; non mentem, non animos, non pectus,nõ virum denique deeſſe: opes, ociũ, gratiam

abesse, iudicium quoque principum, qui rei tantæ authores esse debent, & quorum interest inprimis viros recognoscere, & à plebe secernere. De me. quid dicam? cognoscent posteri me non magnum animũ non virtutem sed fortunam me deseruisse. Vale. Tholosæ.

M. A. B. Cornelio Varo S. P. D.

ACcepi tuas literas eóque lubentius legi, quò negligentiores dantur est enim negligentiæ quoddam genus, quod eloquentiam dicimus; nimirum vbi artis obliti sequimur naturam; sed tibi meum animum probanti, qui Bellonæ Pallada prætuli, éque pellibus in hemiciclũ, éque dio in vmbram me recepi vix gratulor. Ignosce liberali viro apud te liberè dicenti, Mineruam dum sequor, odi, amo, cum desero, Bellona quoque eodem apud me loco semper fuit. O me hominẽ, quod odi præsentia! ô desipientem me, quòd sim homo! vnum te virum, Democrite, fuisse suspicor, qui ista dum videres, ridebas om-

nia; Timonem verò eo virum minus, quod homines improbāti lux grata fuit. Sed hic pono ſupercilium. Florium meum tibi cōmendo, cuius inſtitutum licet nō probem, æqualium tamen eum loco, & amicorum numero haberi cupio. Vale Cadurci.

M. A. Bodius Cornelio Varo S. P. D.

NVnquam putaui, Corneli Vare, fuiſſe eam populi potentiam, eam plebeculæ deerrantis vim, illius vt ſenſum viri prudentes ſequi cogerentur, ſed ita res eſt, aggredimur omnia, exequimur omnia, vt nos, noſtráque populo probemus. Vnde fortunarum amor, & habendi cupiditas? vt noſtri memoriam, & genus noſtrum ad poſteros id eſt ad populum tranſmittamus: populi enim nomine omnes cenſeo, qui de hominū vitâ, & actionibus cognoſcere, vel per ingeniū nō poſſunt, vel per philoſophiā non didicerunt: fælicior ille tamen quem temperata ſuſtulit regio: errat enim minùs. Proinde nos tuis Italis placere ſemper ſtuduimus, nihilque ſuſcepimus priùs, quàm oculos in te, & in tui ſimiles coniecimus. fefellit tamē me iſthęc expectatio,

&c dum peregrinos ſequor, meos deſerui; niſi qui ſint, qui in eodem mecum animo fuere. Diſſentiunt inter ſe omneis populi, & vt cæli ſpaciis, ſic animi motibus dirimuntur: prouidentes verò, qui iis placere ſtudent, quibuſcum vitam degere maluerunt, & licet videant, probentque meliora, deteriora tamen ſponte ſequuntur. Ego verò horum prudentum numero eſſe nequeo, quod ſerò rem animaduerti, & mea non tanti faciam, eorum vt gratiâ mẽtem mihi mutãdam eſſe putem. Vale. Cadurci.

M. A. Bodius M. Cerato S. P. D.

VBi tu eſſes, quid faceres, ex literis tuis pernoui; de me vero ſic habeto: à quo tempore me in viam vnà cum P. dedi, grauiora pertuli, quàm vel facilè tu putares: vel ego reſcribam hoc tempore. Primùm dubitaui, cum vndique partes iter obſiderent, quarum fidei me committerem, & quarum per fines proficiſcerer; decreui tãdem Regiis me credere, & Dumaſium veni. noſti illud oppidulum editę ripæ pro-

fluentis Garumnę impositum, mænibus ſeptum è luto tenaci; illic crebræ turres, foſſę, vallum cum lorica, pinnę, pluteique terra obtecti; barbara loci facies; ſed à præſidiario milite intromiſſus, cœpi mirari nullum ibi ciuem ne fœminam quidē præter vnicam fuiſſe, omnes alienos, & arma ferre; bello ciuili locum occupaſſe: recedere igitur decreui, ducémque viæ cœpi conducere. præſidiarij vbi hæc vident, continuò ſex equites in inſidiis locant, ducique viæ imperant, nos vt rectâ duceret ad armatos; puer tamen meus, iſtos in exitu ſiluæ obſeruat, & me monet periculi, proinde decreto mutato, regiíſque derelictis, in coniuratorum fines veni, vix illi manus abſtinent, vnde factum vt inter vepreta per biduū delituerim; noctu demùm factis itineribus Burdigalam appuli, vbi nunc viuo, & valeo. hæc rerum mearum ratio. Vale. Burdigalæ.

M. A. Bodius C. Varo S. D.

HEm tibi virum datę fidei memorem, & quę Tholoſæ geſta ſunt, quæque

geruntur lege. Iſta ciuitas cum reliquis iã-
diu à rege defecit, & in manum, fidémque
Cęſaris per idoneos viros conuênit. Proin-
de cùm conuentus Galliarum Bleſiis age-
rentur, neglecto ſenatu, factioſos homines,
& Cęſaris clientes delegit, qui ciuitatis
non modò res procurarent, ſed & partium
ſtudia, & decreta, publico in conuentu
tuerentur. Sed vbi Cęſar qui vincere ſci-
uit non regnare, pluribus vulneribus con-
foſſus iacuit, aufugiunt legati, & Tholo-
ſam redeunt. horum princeps Commin-
gius Epiſcopus à quo tẽpore receptus eſt,
non cunctandum ratus factioſos accerſit,
monet, accendit, cędem Cęſaris quoquò
modo vindicandam, id ni faciant, non fi-
dem, non ſpem, non dignitatem ſupereſſe;
libellum igitur in Senatu profert, quo ſta-
tum ciuitatis inuerti poſcit, & populi va-
lere ſuffragia, quicquid petit vi impetrat,
ſed veterem inimicum, & ingratum plebi
I. S. Durantum Proto-pręſidem in fugam
vertit; exire cupientem, prohibuit; inimi-
cis cuſtodiendum tradidit; deinde inito
cum collegis conſilio per ſpeciem motus
popularis

popularis tollere decreuit; huius decreti proximus autor fuit G. Macoan Octouir homo vitæ perditæ, & turpitudinum omnium pater. Percussores deleguntur, addũtur è plebe comites, sed quid plura? magnum virum, & grauem senem vxoris, filiæque à complexu, & lachrymis euocant satellites, securum & nihil leuius expectãtem confodiunt; crebro perfossum per cœnum trahunt, & viri corpus ad patibulum rapiunt. Hoc ego tempore Georgium Macan, qui se Duranti amicum dicebat monui, autoritatem suam, & potestatem plebi opponeret pollicitus si quid id esset, cũ vitæ meæ periculo semper adfuturum: respondit se nihil audere, duo millia hominũ esse in armis, cùm sexaginta tamen non fuissent; sed ille hanc cædem vnà cũ Commingio decreuit. Ad noctem plures cædes factæ, Patronus fisci Daphis optimè de patriâ meritis, & commendatione patris nobilis, ab amplexu vxoris rapitur, & pluribus vulneribus confoditur immerẽter. Vbi diluxit, occurrunt ciues ad tantæ rei spectaculum. Commingius equo vectus cum

ſuis, quando inſepultos accepit, tragicum illud crepuit εἰς κόρακας, hominum tamen turbas repreſſit Coſtius octouir, & Dalpeſſius quæſtor, & vt ſepelirentur curauit. Erat in prætorio regis effigies, nobilis pictura; hanc deripiunt, & pueris tradunt, qui per cænum traherent ad patibulum; in hac Duranti corpus inuoluunt, & vnà ſepeliunt. Dum hæc ſcribo, portę vrbis obcluduntur: catenę per vicos diſtentæ: exſtructique crebri aggeres, quibus ſingulorum pæne ciuium ędes muniuntur. Monachi & ſacerdotes incedũt armati: ſunt quoque ex his, qui ſe plebeios profitentur duces: & ordines ducunt, dira ciuitatis facies hoc tempore; quid quoque fiet à me expectes. Vale. Tholoſæ.

M. A. B. Lodouico Blouino A. Piboliero S. D.

RHeam inſulam à Pictonum finibus Oceano diremtã colere te, & Fontenaię tuæ præferre diu mirabar: quomodo enim aliter ſentirẽ? cùm Fontenaia Pictonum ocellus, Aquitanię delicium, ingenij, bonique genij parens, peregrinos & rudes ad ſe

pellexit ſępe, ſuos pepulit nũquã. Tu quoque vir claris natalibus, nobili patrimonio, plurimâ doctrinâ, & rerum vſu, & quod caput eſt ſingulari morum probitate, quid in anguſtâ faceres inſulâ? ab eſſedariis tãtùm (vti ego putabam) & piſcatoribus cultâ? Iam tandem (mi Blouine) mirari deſino, & tuum inſtitutum probo: nam quæ tibi in ædium ruinis, tuorúmque lachrymis voluptas eſſe poteſt? & Fõtem illum Naiadũ à peregrino milite conturbari, qui quõdam Tiraquelli, Imberti, Briſſonij, Amyci, fluuiis exuberans orbem terræ proluebat. ô temporũ calamitas & belli domeſtici lues! vrbẽ illam ab externo milite regi nunc neceſſe eſt, quę non ſibi rectores modo, ſed & regibus, & vniuerſæ Galliæ peperit prius. Nunc te fęlicem prędico, qui dum à patriâ non abes procul, non ades tamen, anguſto nimirùm freto diuiſus, eámque colis inſulam, quę terræ fertilitate, commutatione mercium, peregrinorum frequentiâ, vrbanitate ciuium cum fortunatis poſſet cõferri: nam cùm decẽ mille & quingentos paſſus habeat in longitudinem (vti ego cẽſeo)

in latitudinem plus mille, nihil sterile, nihil incultum, nihil vacare cives patiuntur. Terræ facies vitibus tecta, quicquid à vite vacat, addictum frugibus, vt hic verè diceres Cererẽ Baccho nupsisse; Proinde quãdo maturę sunt fruges, insulã frugibus tectam censeres, his ablatis, vbi virent vites, Cereri nullum locum superfuisse putares. At omnium vectigal maximum, salarium; nullo penè impẽdio domino quotãnis gratum, & plurimarum gentiũ penu. Hęc ego non adueeti prius, sed postquam tuo beneficio peruni, te fœlicem censeo, qui à tuis abesse potes sine periculo, hoc belli tempore, & rem vnà cum dignitate facere. Vale. Fontenaiæ.

M. A. B. L. Tiraquello S. P. D.

QVantum ego ex ęgritudine tuâ dolorem capio, vel ex his literis facilè cognosces, in quibus neque spiritus forsitan agnosces, neque acumen meum. Vtinam! hic dolor, vel suâ spõte remitti, vel meâ inhiberi posset industriâ, sed illud nõ fiet profectò, nisi te tibi planè restitutũ videã. cùm vales te propter ætatem nonnunquam ne-

gligo, ſed nunc cùm ęgrotas, in oculis veniunt, occurruntque mihi tuæ dotes ingenij, & ornamẽta omnia, quo in genere laudis, qui in pari ætate tecum fuerunt, quantum ego ſcio, nemo te prę̨ceſſit vnquã. Qui tu ſis hodie cognoſcant qui hęc legerint, & tu ſimul mecum recognoſce, vt ſi quando à te defeceris, tantæ ſpei proditæ à te pœnas exigas. Decimũ & ſextum annũ agis. Loqueris, narras, dicis eleganter, copiosè, Græcè & Latinè, vtriúſque linguę ſcriptores interpretaris commode, & poëtas difficilimos, omnem philoſophię partẽ attigiſti & in his publice, ſine fuco, diligentię ingeniique ſpecimen dediſti. omnem poëtarum, plurimarum gentium tenes hiſtoriã, & narras Græcè, Latinè, par in vtriúſque facultate. Iuris ciuilis non rudimẽta modo tenes memoriter, quę inſtitutiones nominantur, ſed & diſceptationes plurimas & controuerſias, quæ hinc inde oriuntur. Adde nullũ iuris eſſe caput paulo generalius, de quo non inſtituis extempore narrationẽ copioſam, quâ mihi perſuadeo Caios, & Scæuolas permoueres. Hæc tua ſunt orna-

mẽta maxima:quę licet nota ſint pluribus, nemo tamen prius credidit vnquam, quam vidit, neque credet poſtea. Vides quæ tua gloria? ſed ſimul vitæ tuę turpitudinem tecũ cogitâ, ſi à te defeceris: Hæc enim meſſis tua(vt ille ait)eſt adhuc in herbâ, ne cõmitte vt adoleſcentię conteratur grandine, ſed tuorum ſpei, tuęque patrię conſeruâ quoad maturuerit. Fuit patruus tuus A. Tiraquellus vir magnus, ſed ſeculũ nactus eſt idoneum, & introitum Mineruę in Galliam vidit, obſeruauit, te verò maiorẽ eſſe neceſſe eſt, qui tuo tempore exeuntem vides Deam, vbi nihil humile nihil mediocre vim habebit. Hæc ego de te, licet te alij melius norint. Vale interim, vt ego valeã. Rheæ.

M. A. Bodius P. Florio S. P. D.

DE hoc tempore queri, mi Flori, nunquam deſinam, quo abeuntem Mineruam video, & terras deſerentem. Me quoque deceptum animaduerti tãdem, ſed ſerò per Apollinem, & cùm me liberare, & ad meliora conferre vix potero. vtinam! ego coluiſſem Muſas nunquam, vel illo de-

mùm tempore, cùm viris doctis, & claris ingeniis ſua laus, ſua dignitas fuit. ſi laborum pręmium honorem defuturum minimùm putaſſem, Iupiter tanti ingenij cultũ feciſſem olim, quanti milites facere ſolẽt, & quanti viri omnes facere debent, qui ſine gloriâ viuere non decreuêre. Cùm duę ſunt Deę, quarũ in templis præclara quæque ingenia vota concipiunt, Bellona & Pallas, illa corpore, hęc animo potentior, ſtultus ego ſapientem me putaui, ſi pręſidem animi, illi corporis pręferrẽ, & in Palladis cultu, famę meſſem longè vberiorem fore cenſui; ſed video tandem erraſſe me cum paucis, dum cum pluribus conſentire nequeo; Corporis enim pręſes terrę coniũctior, honores illos humanos & parit commodius, & diligentius accumulat, & cultoris expectationem fallit raro. Verum illa animi, dum cęlum me ſpectare iuſſit, terrę eripuit, & dum ſidera vix acie contingo, pinguiores terrę glebas negligo. Hæc quoque, quę ſe matrem hominum & animantiũ credit, ingratitudinis me coarguit, quo iure quod mihi donauit iam abſtulit, &

Palladis sequentem castra, inopem, & egenum esse iubet. Nam mihi adolescenti notę temeritatis, erat domi quod quoquo modo me aleret, nunc verò viro, forsitan neque rudi ingenio, neque immiti, superest nihil. Quę causa? te sequutus sum Pallas, te colui: tu me defēde, vel de me queri noli, si te deserâm: ęquales mei in te colendâ me non prę̈eunt, non præiuere; si Bellonam coluissem, vt cæpi, nihil mihi ereptum foret, nemò æqualium hoc in studio viuum superasset: vtinam ego vel te coluissem nūquam, vel illam non attigissem prius: fruerer animo tranquillo, neque puderet vllum hominem mei loci atque ordinis me anteire. Hæc ad te (mi Flori) in cuius sinum omnia soleo, sisto quoque. me enim febricula interpellat. Vale. Biturigibus.

FINIS.

W

